THESAURUS PATHOLOGICO-THERAPEUTICUS:

exhibens

SCRIPTA RARIORA ET SELECTIORA

AUCTORUM ET INDIGENORUM ET EXTERORUM

quibus

natura ac medela

morborum tam internorum quam externorum


illuſtrantur atque explicantur:

quem

collegit et edidit

Dr. IO. CHRIST. TRAUG. SCHLEGEL

Celſ. Comit. regn. de Schoenburg-Waldenburg Conſil. et Archiater; Dynaſtiarum Waldenburg et Lichtenſtein &c. &c. Phyſic. ordinar.



Volum. I. Pars III.

LIPSIAE

ſumtibus Frider. Schneider 1791.



L. B.
S.

Libelli, qui hac parte continentur, ob res, in illis pertractatas, praestantissimi, & lectu dignissimi, non solum censiti, sed & ob raritatem exemplorum in tabernis librariis ubique fuerunt jam diu desiderati: quos spero itaque, atque confido, hic collectos, & iterum de prelo prodeuntes, fore lecturis gratos atque acceptos Dab-Waldenburgi, d. xx. Maji 1790.

Dr. Schlegel.

Conſpectus contentorum in parte tertia.

I.

VII.


DE SUCCESSIONE MORBORUM LIBRI III.

Auctore

CAROLO GIANELLA

Medic. Dr.

Batavii, 1742.



DE MORBORUM SUCCESSIONE

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De operis utilitate.

Argumentum ſane ingens, & Aleae plenum, de ſucceſſione nempe morborum, ſuſcipimus pertractandum. Id quoque utile, ac plane neceſſarium eſſe, ii tantum judicare poſſunt, qui diu praxi dediti, latentes naturae morbos optime intelligunt. Cum enim morbis ſuccedentibus vulgus ut plurimum medicos criminetur, & incuſet, tamquam ſupervenientis mali Auctores, ſi, quae mala malis superveniunt, praedicere ſcient, & ad ſuam famam tuendam, augendamque, & ad aegrotantium ſaluti conſulendum

 vale

valebunt maxime. Morborum quidem naturas, dicebat Baglivius, & caussas tenere est hoc sane aliquid, vel potius multum; at sucessiones morborum, quo se illi vertant, veluti e Specula praevidere, profecto est Artificis fulgore suo utentis, artesque infra se positas praegravantis. Quamvis tamen idem Baglivius affirmet, Argumentum hoc a nullo Auctore pertractatum fuisse, id tamen verum non est, cum jam sit a Castrensi Lusitano, in suo libello, *quae ex quibus*, tractatum, ut apud nonnullos raros Auctores eum citatum inveni, licet usque adhuc omni adhibita diligentia Auctorem ipsum invenire non potuerim. Ut vero Litterarum cupidi ad tale opus renovandum excitentur, omnes vires, conatusque meos in hoc argumento enucleando intendo. Et, si ea, quae concepi, minus perficere potero, id sane non est voluntatis vitio adscribendum, sed argumenti magnitudini, atque difficultati. Nam *in magnis voluisse sat est.*

CAPUT II.

De operis divisione.

Cum homo ex duabus praecipue partibus, ex animo scilicet, & corpore constet, cumque pariter suas habeat tum animus, tum corpus peculiares affectiones, mihi in animo est in tres libros praesens argumentum dividere; & primo quidem de morbis animi, qui sibi invicem succedunt; secundo vero de iis, qui ex corporis aegritudinibus propagantur; tertio tandem quaedam veluti Idea generalis tradetur de morborum successione jure vicinitatis, officii, & consensus producta, nec non etiam per metastases traductione morbosae materiae ex uno in alterum corporis locum, vel per epige-

epigeneſes majori humorum depravatione, vel mutatione eorundem in alterius generis humorum pravitatem, vel morbidarum particularum ad ſolidas partes propagatione, breviter ac dilucide, quantum potero, verba faciam. In quibus etiam omnibus, ſucceſſio ne illa bona, an mala ſit, remanente ne primigenio morbo, an illo ex toto ſublato, tum ex optimorum Auctorum lectione, tum ex propria obſervatione, paucis tradetur.

CAPUT III.

De Animi morbis.

Omnes animi Affectiones ad amorem, veluti caeterorum affectuum radicem, reduci poſſunt, ut Divus Auguſtinus docet lib. de Civitate Dei 14. cap. 7. *amor enim*, inquit, ille, *inhians habere quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens, eoque fruens, laetitia eſt; fugiens, quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt.* Licet tamen haec doctrina rationi reſpondeat, majoris claritatis gratia, omnes animi perturbationes ſuo peculiari nomine donandae ſunt. Praecipue igitur animi motiones amoris nomine, odii, irae, timoris, metus, gaudii, & triſtitiae vocandae ſunt, quae ſi recte rationi reſpondeant, bonae ſunt, virtutesque etiam apellari poſſunt; ſi vero rectae rationi adverſentur animi vitia ſunt, atque aegritudines. Non ut virtutes, ſed ut vitia, hae animi motiones ſunt conſiderandae; & qui morbi ex ipſis evenire, & quae damna in corpus importari poſſunt, eſt etiam perquirendum.

CAPUT IV.

Quomodò animi motus agant in corpus.

Animi motiones licet animi mala, moraliter loquendò, & vitia dicantur, phyſice tamen corporis paſſiones ſunt, & motus, quibus maxime animalis aeconomia alteratur, & perturbatur. Nam animi paſſiones ex tribus veluti fontibus ortum ſuum ducere videntur, ab objecto ſcilicet ſenſibili, ab imaginativa potentia, & ab appetitu ſenſitivo.

Cum enim eandem imaginativa potentia vim habeat appetitus ſenſitivi reſpectu, ac habet reſpectu voluntatis intellectus, ſi phantaſia objectum aliquod aut triſte, aut jucundum, aut delectabile, aut ſub ratione boni, aut ſub ratione mali concipiat, ut tale etiam ſenſitivo appetitui repraeſentat. Cum vero hae duae potentiae in ſenſu potiſſimum, & motu conſiſtant, nequeunt tales affectiones fieri absque ſucci nervei, & cordis commotione, & ſolidi meningaei & fibrae nerveae, ſenſitivaeque tam recte, quam obliquae, & transverſalis titillatione, & irritatione; unde ſanguinis maſſa, & animales ſpiritus varie moventur, perturbantur, atque impelluntur; ex qua varia motione modo lente modo velociter currentes corpusque totum agitantes multiplices affectiones modo frigoris, modo caloris, modo tremoris, modo furoris, cum coloris mutatione, & pulſus alteratione, ut ſaepe videre eſt, producunt. Et licet tam varii, tamque inter ſe contrarii effectus ab animi pathemate oriantur, omnes tamen ex uno fonte, ab appetitu nempe ſenſitivo, prout varie in ipſo fiunt mutationes, & affectio-

fectiones, emanare possunt. Hinc in ira plerumque rubet facies, oculi splendescunt, cutis exardescit, quia a spirituum animalium accensione & sanguis concitatur, & effervescit, & fibrae sensitivae irritantur, & commoventur. In moestitia, & timore pallent membra, livescunt, & refrigerantur. Quia, ob spirituum animalium dispendium, a nimia mentis in objectum triste intensione productum, fibrae sensitivae laxantur, & in suo motu sanguis lentescit, concrescit, et quodammodo congelascit. In gaudio vero, & laetitia corpus roseo colore perfunditur, & oculi alacriores observantur, quia nervei succi veluti quadam peculiari elastica vi donantur, & blande afficiuntur, unde sensitivae fibrae intenduntur, sanguisque vividior, atque expansior movetur. Idque de aliis dicendum. Et quia animi mures sequuntur temperamenta, ut Galenus ex Auctoritate etiam Platonis, & Aristotelis conatur ostendere in suo libro, *quod animi mores sequuntur temperamenta*, quo varia quisque corporis constitutione & natura, fluidorum, & organorum dispositione promptius, vel lentius suscipere potest unam, vel alteram ab abjectis impressionem. Quemamodum enim exteriora sensuum organa in quibusdam aptiora observantur ad audiendum, videndum, gustandum, tangendum, odorandum, aliterque in aliis operandum; ita & interiora organa ad hos, vel alios animi motus sunt procliviora, magisque disposita. Hinc Galli procliviores sunt ad libidinem, Germani ad iram, Hispani ad superbiam, Graeci ad mendacium, pueri, & foeminae ad commiserationem & fletum, ob fibrillarum mollitiem; viri vero, & senes non item ob contrariam rationem. Immo idem ipse, qui aetate puerili verecundus, placidus, meticulosus, & misericors observabatur, aetatum mutatione saepe ac saepius indolis oppositae differentisque propensionis evadit; non

alia certe de caussa, nisi quia per aetatum mutationes a sanguinis, & fluidorum omnium mutatis constitutionibus diversimode construuntur organa, & fibrae compactiores, durioresque redduntur. Hinc ex Anatome compertum est, fortes, & audaces sortitos fuisse Cor mole parvum, textura densum, & non raro etiam pilis stipatum; pusillanimos vero structura laxius; amplius mole, & vasorum, & fibrarum laxitate debilius. Hinc etiam ex colore, & structura capitis, oculorum, & nasi inferre licet, ad quos animi mores quisque inclinet, cum ex sacris paginis habeamus, Esau fuisse colore rufo, oculis parvis, & simo naso praeditum, quae morum pravitatem, ut vere juxta aliquorum interpretum sententiam scelestissimus fuit, indicant. Contra vero David fuisse colore rufo, & magnis oculis & naribus amplis donatum, quae optimam cerebri temperaturam denunciant, & morum bonitatem, ut vere optimus hic fuit, & Deo acceptissimus. Habemus etiam pulchros illos Martialis versus, qui ex colore, & oculorum, & pedum constructione depravatos Zoili animi mores deducit.

Crine ruber, niger, ore brevis pede, lumine laesus:
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

At ista sunt extra pulverem meum. Porro ut ex natura, & constitutione aliiproccliviores suntad unam, alii ad alteram passionem contrahendam, ita possunt & constitutionem immutare, & naturam corrigere, & alios animi mores alimento, & iteratis actibus instituere. Alimento, quia ex Alimento fit Chylus, ex Chylo sanguis; ex sanguine nutritio, ex nutritione temperamentum, & ex temperamento mores; apud Justinum extat de Hibide historia, qui cerva nutritus cervae velocitatem habebat. Iteratis actibus, quia ex iis comparatur habitus. Hinc pulchre Horatius,

Nemo

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodit aurem.

Quare etsi quis a nativitate sit iracundus, poterit ex oppositis actibus pluries saepiusque repetitis mitior, ac placidior fieri, & qui pusillanimus erat, audacior evadere: & licet ex natura pendentium vitiorum semina extingui omnino non possint, eorum tamen vis ita infringi potest, ut nullam valeant in nobis producere alterationem ut lib. 3. cecinit Lucretius:

Illud in his rebus video firmare potesse,
Usque adeo naturarum vestigia lingui
Parvula, quae nequeat ratio depellere dictis,
Ut nihil impediat dignam Dis degere vitam,

Reputandum est viro prudenti omnem vitam servitium esse, ut monet Seneca, *& ideo assuescendum conditioni suae, & quam minimum de illa querendum, & quidquid habet circa se commodi apprehendendum; nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solatium inveniat. Adhibe rationem difficultatibus, possunt & dura molliri, & angusta laxari, & gravia scite ferentes minus premere.* Oportet etiam voluntatis, & rationis scire uti imperio, ut unus motus per alium oppositum reprimatur, atque emendetur, ut de Socrate, Hippocrate, aliisque Ethuicis memorant historici, & passim nos legimus in vitis Sanctorum Patrum. Sed ut animi vitia corrigantur, revocandum in usum est nobis illud moralis philosophiae principium nempe *nosce te ipsum.* Nam *quomodo*, ut inquit Galenus de curandis animi morbis, *quomodo quis ista ejiciat, nisi prius ea se habere cognoverit? quae cognitio difficillima est propter nimium amorem quo quisque se ipsum afficit,* unde me-

merito dicebat Thales Milesius *nosse se ipsos rem esse omnium difficillimam.* Curantur etiam animi morbi per medendi artem atque inter praecipua praesidia, quibus hisce in morbis utendum est, sunt cantus, & symphoniae, quod remediorum genus primum Phaeniciae populi noverunt, inde etiam Aristoteles, Asclepiades, Galenus, Vallesius, Rodericus a Castro, & alii plurimi in talium morborum curatione faciebant. Sed quae remediorum genera maxime animi morbis laborantibus prosint, in singulis animi affectionibus percensendis docebo. Transeamus ad alia.

CAPUT V.

De Amore, & de morbis, qui ex Amore succedant.

Amor nihil aliud est, quam boni, pulchrique possidendi, & fruendi desiderium, quod potius, ut inquit Marsilius Ficinus in commentario ad Platonis Convivium, res spirituales respicit, quam corporeas, cum bonitas, & pulchritudo sint res a materia sejunctae. Amor igitur hoc sensu acceptus in ratione, auribus & oculis tantum consistit, cum bonitas tantum in Deo veluti in centro posita sit; pulchritudo vero etiam in Angelos, animos hominum, & corporum figuras, & voces veluti divinitus transmissa sit, & per rationem, visum, & auditum animos nostros moveat, & delectet. Hoc sensu acceptus amor, & in usum a nobis revocatus non damna infert, sed potius plurima bona. Nam primum mentem exhilarat, cultioresque reddit homines, & gratiam & venustatem quodammodo largitur: inde etiam solertes reddit ad providendum, acutos ad differendum, facundos ad eloquendum, ad res gerendas magnanimos, ad jocos facetos, ad

ad ludos promptos, ad feria quaeque fortiſſimos. Sed cum amor in ſenſibilibus objectis occupatur, eaque plus quam par eſt, expetit, pulchro hoc nomine amoris indignus reputatur a Stoicis, aliamque veluti naturam induit, & libidinis, & cupiditatis nomine indicatur. Quo in ſenſu cum ſit affectus animi procedens ex appetitu concupiſcibili in bonum ſenſibile, cum manifeſta cordis agitatione, tunc non amplius a ratione gubernatur & extra proprium fertur centrum, in mentem, corpusque damna inferendo quam plurima. Et quidem in Mentem quae infert mala, ſunt deſperatio, delirium, temeritas, ſtupiditas, deſipientia, a qua veluti ecſtaſi abrepti amantes fiunt cogitabundi, & nec vident, nec audiunt, quae iisdem offeruntur. Aliquando etiam nimium contriſtantur, & ſibi ſomnia fingunt, ut refert Georgius Pictorius de quodam Adoleſcente Athenienſi, qui ſtatuam Fortunae ad Pritanaeum ſtantem deperibat, ac ſaepe in ejusdem complexum ſe ſe inſinuans, aeſtroque percitus, propter cupiditatem, in Senatum venit enixe rogans, ut ſibi eam liceret emere: at cum nihil efficeret abnuente ſenatu, imagine prius coronata, atque oblato ſacrificio profuſis lacrymis, mortem ſibi ipſi conſcivit. Et Adoleſcentula annorum ſeptemdecim, ob nimium amorem, maniaca legitur in Miſcel. A. n. c. Decur. 2. anno 10. obſervat. 126. Edit. Norimbergenſis pag. 219. Periander, juxta Herodotum, tantum amore inſanivit, ut cum Meliſſa meretrice mortua jacuerit. De Galeatio quodam Mantuano ait Matthaeus Palma in annotatione amoris, eum tanto amore correptum eſſe erga adoleſcentulam, ut cum iſta per jocum ei dixiſſet: vade ad flumen, o ſtulte, ille hoc audito, ſtatim ſe miſere in Ticinum flumen projecerit. Vidi & ego quendam ſenem, qui poſtquam captus fuit cujusdam puellae amore, non amplius ſom-

num,

num, & cibum capiebat, semperque aut saltabat, aut canebat. Quae certe deliramenta a nulla alia caussa evenire possunt, quam a forti imaginatione in amatum objectum, quod si obtinere possunt, ob nimiam laetitiam, veluti in ecstasim rapiuntur; sin minus, ob summam tristitiam, fiunt cogitabundi, & stupiditate; aut furore, aut desperatione corripiuntur. Aliquando etiam mala mentis oriuntur ab adustione sanguinis & bilis, quae ob nimium calorem degenerat in atram bilem. Quod vero ad mala corporis attinet, primum ex nimia succi nervei intensione in amati objecti cogitatione, ejusdem concursu ventriculus spoliatur, & ciborum digestio alteratur, chilusque crudus efficitur; unde color pallidus omnibus fere amantibus inest, ut cecinit Ovidius;

Palleat omnis amans, est hic color aptis amanti.

Aliquando etiam ex nimia mentis cogitatione solida membranosa intenduntur, crispanturque, incalescunt spiritus, & motus cordis perturbatur; unde suspiria, anxietas, vigiliae, & inquietudines, & sanguis plus justo extenuatur, & acrior fit, ex quo febris lenta continua, aliquando tabida cum totius corporis macie producitur. Noscuntur autem amantes ex facili coloris mutatione, ex suspiriis, ex silentio, ex oculorum subsultu, ex pulsuum etiam mutatione, & ex eorumdem celeritate, frequentia, elatione, & inaequalitate: praesertim si nomen rei amatae audiant, aut objectum amatum videant. Ex Valerio Maximo lib. 5. cap. septimo habetur: Erasistratum cum juxta Antiochum Adolescentem graviter laborantem sederet, & curiosius illius vultum, & totius corporis gestum observaret, tandem cognovisse ad introitum Stratonices, ob defectum vocis, ob ruborem vultus, ob oculorum subsultum, sudores auctos, & motum arteria-

rum

rum incredibilem; & contra ad ejusdem difceffum, pallorem, ac liberam refpirationem, cognoviffe, inquam, illius amore captum effe: & Galenus in libro de praecogn. ad Pofthum. cap. 6. deprehendiffe fe memorat, ex pulfus mutatione, amantis nomine audito, mulierem quandam Pyladem deperire. Narrat Matthias Cornax lib. 1. confultat. Medic. cap. 3. Adolefcentem amafiae fuae affidentem, vena circa tempora fponte difrupta fervidiffimi fimul, & copiofiffimi fanguinis profluvium paffum; quod rarum amoris fignum ex ebulliente fanguine, & fervido fpiritu ortum fuis oculis confpexiffe refert idem Auctor. Forestus lib. 10. obfer. 29. refert de quodam juvene, qui puellae pulcherrimae amore flagrabat, ea cum potiri non poffet, miferi amorem in furorem effe verfum; adeo ut poftea Parentes coacti fuerint illum in vinculis detinere; in quo furore vitam longo tempore trahens perpetuo in carcere, tandem vitam cum infania finiit. & obfervat 30. lib. eod. narrat de quadam puella, quae juvenis cupiditate vehementer exarferat. Hinc melancholica, morbum quoque uterinum, feu uteri fuffocationem incurrerat, adeo intenfam, ut in vita graviorem, eique fimilem non viderit Auctor, cum totius corporis convulfio tanta effet, ut venter colligeretur, mox deprimeretur, ac concideret, idque per multas horas cum rugitu, qui a diftantibus etiam exaudiebatur; aderant etiam horribilia fymptomata, cum maxima vociferatione, & ululatu, fine loquela, cum brachiorum, ac manuum contorfione, ita ut pro daemoniaca ab adftantibus mulierculis non modo haberetur, fed etiam pro deplorata; quam tamen reftituit in fanitatem folertiffimus Auctor, fuadendo genitoribus eam ut in matrimonium cum amato juvene jungerent. Quod vero attinet ad curationem tot, tamque variarum affectionum amoris, facilius

lius ſit amorem vitare, quam implicitum ejus retibus, ab iisdem exire:

Nam vitare, plagas in amoris ne jaciamur,
Non ita difficile eſt, quam captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Ait Lucretius. Sed qui vitant amorem, ſani & prudentes ſatis ſunt, & noſtris tantum laudibus egent, non remediis. Quod vero attinet ad illos qui amoribus irretiti plus, quam par eſt, objectum ſenſibile amatum cupientes, in mentis vitia cadunt, admonendi primum ſunt, ut mentem ab objecto amato ſtatim revocent, neque amplius in illius cogitatione verſentur. Nam mora dat vires, & parva recens flamma pauxilla aqua illico extingui poteſt. *Decet etiam aliis curis traducere vitam, atque alio*, ut inquit Lucretius, *convertere mentem.* Juvat quoque receſſus ab Amante, peregrinatio, blanda amicorum ſocietas, cantus, ſonitus, litterarum ſtudium, & aliquando etiam praeſertim in ſumma triſtitia generoſi vini potio. Aliquando etiam curantur amantes ab ipſo amore medico cum amato objecto potiuntur; ut de quodam juvene refert Aretaeus, quo etiam remedio uſus eſt Eraſiſtratus ad ſanandum Antiochum. Quod ſi delirium, aut furor maniacus corripuerit amantes, cum in his ſolidum meningaeum, indeque totum membranoſum ſyſtema afficiatur, ſanguinis iterata, & ampla miſſione, frequenti, & largo opiatorum uſu, balneis, & jejuno, & aqua curandi ſunt; Et licet Propertius canat,

Omnes humanos ſanat Medicina dolores,
Solus amor morbi non amat Artificem.

Tamen qui diu, & obſtinate in remediis perſiſtit, morbum fugat, ut pluries obſervare mihi contigit.

Si

Si vero pertinaces vigiliae, & febres amore captis ingruant, cum ſanguis ex perenni cordis agitatione, & ſolidorum meningaeorum nimia tenſione, & elaſtica vi plus juſto extenuetur, & acrior fiat, refrigerantia, humectantia, & incraſſantia praecipiuntur: ut ſunt ſanguinis moderata evacuatio, Gelat. C. C. Aquae Gelidae generoſa exhibitio, ſerum tamarindatum, aut nitratum, emulſiones frequentes cum ſeminibus papav. albi, & amygd. dulcium, blanda hypnotica, Balneum Aquae dulcis, & ſimilia. Diaeta etiam incraſſans, & refrigerans inſtituenda eſt, & Aqua Nucerina pro potu exhibenda. Debet etiam Medicus prudens occaſionem ſumere virtutem, & continentiam laudandi, oppoſita vitia damnandi, nec non etiam foeminarum mores, & calliditatem, & turpitudinem deſcribendi, in quibus plurimum valet Rhetoricae vis, & nobilitas. Hiſce iisdem diebus, quibus haec ſcribo, vir quidam (cujus nomen ſilentio honoris cauſſa praetereo) ſanguineae naturae, habitus pletorici, & aetatis circa quinquageſimum, ex inconſtantia cujusdam foeminae, cujus amore incenſus erat, in delirium incidit; quo cognito ab ipſius domeſticis ex eorundem conſilio ſanguinis miſſio ad libram usque peracta eſt; emiſſo licet ſanguine, eadem die iſte per vicos, plateasque vagari, neque a delirio ſuo quicquam reſipiſcere, poſt tres dies altera ſanguinis miſſio ad libram pariter ex pede iterari; tunc arceſſitus ego, ſanguinemque contemplatus, nigerrimum, & fere ex toto coagulatum cum animadvertiſſem, pulſum vero cum magna febri durum, celerem, & modo humilem, modo elatum (fortaſſe ex irritatione, & criſpatione ſolidorum membranoſorum) deprehendiſſem, alteram ſanguinis miſſionem ex altero pede generoſiorem praeſcribo. Poſtera die minus deliravit, licet nocturno tempore ſemper idem eſſet, & aliquando ſe indueret veſtibus & adſtan-

adſtantes cubili ejiceret, aſſeverans, ſe nihil mali habere, contenderetque cubili & domo egredi. Ad criſpata ſolida laxanda, perturbatosque ſpiritus ſedandos, ſingulis noctibus praebetur, partitis vicibus, laud. opiatum ad grana duo, nec non etiam pedibus aquae dulcis Balnea adhibentur. Aliquando etiam blanda allocutione, & placido ſermone illum hortor ad foeminarum malitiam deteſtandam. Pariter cum ex febri ardenti lingua eſſet hiulca, arida, & nigra, exhibentur, emulſiones ad libras ſex ex Aq. hordei cum ſeminibus 4. frigidorum majorum, & papaveris albi paratae, nec non etiam ad aeſtum compeſcendum Aqua Nucerina ad libitum. Quibus tandem remediis poſt triginta dies febris receſſit, & ad priorem mentis ſtatum rediit.

CAPUT VI.

De odio, & de morbis, qui ab odio naſcuntur.

Contrarium amoris affectioni eſt odium, quo ſi vitia, turpitudines, fraudes, & alia hujusce generis mala proſequimur, non malum eſt, ſed bonum potius, cum rectae rationi minime adverſetur. Poteſt etiam eſſe veluti Medicina amantium, cum per illud contraria affectio in eorum animos induci poſſit. Quod ſi inter inimicos non tantum, verum etiam inter conjuges, propinquos, vicinosque malum hoc oriatur, tunc rectae rationi repugnat, neque ulla alia affectio eſt aeque vilis, turpis, deteſtanda, ac odium, cum pulchrum naturae ordinem ſubvertat, ſocietatis leges, & vincula rumpat, & humanum divinumque jus violet. Ubi igitur haec Lues homines inficit, animum, & corpus velut multiplici malorum ſerie corrum-

rumpit. Et quidem quae in animum redundant mala, ſunt displicentia, diſcordia, ira & aliquando etiam furor. Iſtis vero animi affectionibus phantaſia aliquando, & ratio ipſa alteratur, cum tanta ſolidarum partium irritatione, & cordis, ſanguinisque perturbatione, ut omnes fere corporis operationes immutentur. Quamobrem vultus pallet, riget corpus, albeſcunt labia, fauces arctantur, lingua titubat, pulſus deprimitur, oculi turbantur, frons corrugatur. Nullo validiori remedio animi affectionibus, quae ex ipſo odio proveniunt occurrimus, quam phantaſiam avertendo. Quod quidem facile conſequemur, ſi res odio habitas laudabimus, contrariamque affectionem in animo excitare conabimur. Ut enim odium aliquando eſt medicina amoris, ita etiam amor odio medetur. *Nam contraria contrariis curantur.* Juvat etiam ad diſplicentiam ex animo ejiciendam felix illorum bonorum omnium recordatio, quae ex reciproco amore proficiſcuntur, ad diſcordiam vero exterminandam proderit exemplis oſtendere, quod eſt memoriae proditum a Salluſtio; *Res parvae creſcunt concordia: diſcordia maximae dilabuntur*, ibique ſemper adeſſe concordiam, ubi adeſt timor Dei, divinoque ſpiritu voluntates noſtrae reguntur; ut patet ex Ezechielis curru, qui licet a quatuor diverſae ſpeciei, atque indolis animalibus duceretur, ab Angelo nempe, ab Homine, a Leone, & ab Aquila, feliciter tamen progrediebatur. *Spiritus enim vitae erat in iis.* Quod vero attinet ad iram, cum illa potius in bilis exaltatione, & ſpirituum animalium, & ſanguinis accenſione conſiſtat, cavendum a rebus calorificis, a ſaccharo, a vino, & aliis ejuſcemodi, generoſa pariter Aquae gelidae potione in ipſo principio extinguenda eſt, & ſi degenerat in furorem, blandis etiam, & repetitis lenientibus expurganda, & opiatorum vi ſubigenda, at damna cor-

poris ex odio emanantia, demptis phantaſiae praejudiciis, facile cedunt.

CAPUT VII.

De ira & de morbis, qui ab ira derivantur.

Ira *brevis furor eſt*, ait Horatius in epiſtolis & ſemper habet in ſe conjunctum ſanguinis fervorem, & ſpirituum animalium accenſionem; una cum meningaeorum ſolidorum irritatione, & valida commotione, eſtque ex Seneca poenae finiendae, ex Ariſtotele doloris reponendi cupiditas, & ex communi ſententia vindictae deſiderium. Ira in quibusdam exercendis muneribus utilis eſt, ut in Praeceptore, in Patre familias, & in ſtrenuo milite, in quo, (dicebat Plato in Timaeo) duplex veluti natura, ut bene munere fungatur ſuo, requiritur: iraſcibilis una, philoſophica altera, iraſcibilis nempe, ut quando opus eſt, timorem ejiciat, & ſe ſe pugnae immiſceat, philoſophica vero, ut ſe temperet etiam ab ira & tempore & occaſione ſciat uti, quae ſi tranſeunt, nihil aliud poſt ſe relinquunt, quam dolorem, & moeſtitiam, ſi tamen hiſce in caſibus, & tali ſenſu accepta ira dicenda eſt, ac non potius rectae rationis uſus. Eſt etiam utilis ira in fugandis quam plurimis morbis, & iis praecipue, qui frigida cauſſa, & ab humoribus tenacibus, pituitoſis in humidioribus, & decoloratis, & craſſo ſanguine ſcatentibus pendent. Ideo docebat magnus ſenex in Epidemicorum libris: *diligentia adhibenda eſt, ut excandeſcentia inducatur, & coloris reparandi, & ſanguinis in vaſa ſubter cuticulam colligendi gratia.* Refert Franciſcus Valleriola in ſuis obſervationibus, quemdam jamdiu Paralyſi ac membrorum contractione aegrotantem repente ex ingenti ira conva-

valuisse, quam data opera assidentes prudentis Medici consilio promoverant. Vidi & ego juvenem humidiori natura praeditum, & succi plenum, qui postquam diu febri catharrali lymphatica laborasset, quae lento gradu sub horas serotinas cum molesta tussi, & ingenti alborum sputorum copia eum invadebat, ab una ex sororibus suis, nescio quomodo, ad vehementem iram provocatus, passus est quidem febrim primum diuturniorem, & vehementiorem; at cum sensibili humorum imminutione, quae etiam paucorum dierum cursu omnino cessit, isque perfecte convaluit. Curabam mulierem quandam decoloratam, & febri lenta continua post abortum laborantem, cui postquam sanguis per iram a marito excitatam magis incaluit, febris aucta quidem est, at statim ex continua periodica est facta, & breve post spatium etiam evanuit. At quantum prodest ira in humidis, decoloratis, & frigidis, tantum etiam nocet in siccis calidis, biliosis, sanguineis, & acri humore abundantibus temperamentis. In iis enim sanguinem vehementer perturbat, atque indebite ad fermentescendum disponit, unde etiam membranosa meningaea solida irritantur, & spiritus animales commoti, & accensi, impetu quoquoversus ex impropria compressione feruntur, unde postea mania, & furor proveniunt. Frequentissimi ab ira morbi nascuntur aurigo, & erysipelas. Aliquando vel apoplectici, vel epileptici fiunt; & aliquando etiam iracundi in terram corruunt, veluti quadam repentina cardiaca syncope correpti, ab exoluto spiritu, vel compresso ab irrumpente in cor sanguine, unde frequentissime etiam suboriuntur artuum tremores, & palpitationes. Inter vero tot mala, quae ex ira accidunt, nullum est tam frequens, quam febris ipsa & maxime tertiana intermittens exquisita quae saepe maxime aestivo tempore, objicitur Medicis. In qui-

busdam etiam ad viſcerum, partiumque inflammationes, Pleuritim, Phrenitim. Haemoptoen, & alia, niſi robur ſolidorum prohibeat, magna vi convertitur. Quod ad irae, morborumque, qui ab ira pullulant, curationem attinet, primum in ipſo ſui principio generoſo frigidae aquae potu compeſcenda ira eſt. Cum enim ira ex bilis exaltatione, ſanguinis, ſpirituumque animalium accenſione primum oriatur, nullum potentius uſurpari poteſt remedium, quam aqua frigida, quae ad fervidum bilis acremque humorem temperandum, deprimendumque, in ipſo ſtatim exaltationis principio, etiam ex Averroe plurimum valet. Valet etiam ad iram vincendam ſpeculi intuitus; ſic enim legitur apud Stobaeum ſerm. 99. *ut naves egregiae, non quae ſereno Caelo navigant, ſed quae tempeſtati reſiſtunt, ſic homines irae, & motui reſiſtentes magni ſunt, & fortes cui ſi reſiſtere nequeat iratus, ſpeculum, dum excandeſcit, propere inſpiciat, ſummamque ſui vultus diſſimilitudinem contemplatus vitii eum poenitebit ſtatim.* Pro cura vero irae prophylactica laudanda ſtatim venit omnimoda vini abſtinentia, cum ſummopere vinum bilem ſuo ſulphure accendat, ſanguinemque perturbet; & homo ſimul iratus, ſimul vino obrutus non ferinam tantum, ſed diabolicam induit naturam. Quidam miles in iram pronus, quoties & mero largius indulſiſſet, & vehementius excanduiſſet, uxorem, conſanguineosque omnes verberabat, verba foeda, ac nefaria proferebat, nec ſolum in obvios quosque convicia fundebat, verum etiam, quod vix credi poteſt, ſine horrore certe & dolore audiri non poteſt in Deiparae imaginem qua pugionem, qua evaginatum enſem dirigebat. Debent igitur ii, qui in iram proni ſunt, ne talia immania patrent facinora, ſe a vino abſtinere, illudque litterarum divinarum in Proverb. dictum obſervare. *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro, color eius ingreditur*

tur blande, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Valet etiam quam maxime ad iram arcendam Pythagoreae diaeteticae institutio, quae cum animalium carnibus vesci prohibeat, ferinos animalium mores, ritusque non imbibimus, sed potius, cum fructus terrae, & olera permittat, talem in sanguinem temperiem, dulcedinem, atque simplicitatem invehimus ut difficulter animi pravae affectiones, iraeque aestus excitentur. Educatio etiam a puero, quae maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat cum facile sit, ut inquit Seneca, teneros adhuc animos componere, difficulterque recidantur vitia, quae nobiscum creverunt, plurimum valere potest ad docilem reddendum animum, iraque spoliandum; neque ipsa mollis, & blanda esse debet, cum non resistat offensis, cui nihil umquam negatum est. Labor etiam & modica exercitatio, in iram proclivos juvant; ut lusus quoque, & moderata voluptas, quae omnia relaxant animum, & mitigant. Tollenda etiam ex animo suspicio, & conjectura, fallacissima irritamenta; & Caesar imitandus est, qui cum magnam vim epistolarum ad Pompejum missarum deprehendisset ab iis, qui videbantur aut in adversis, aut in neutris fuisse partibus, eas combussit, malens non posse, licet irasci moderatae soleret. Fugiendi pariter sunt ii, quos moturos iracundiam sciemus, & eligendi, qui cum simplices sint, ac faciles, iram non concitant, sed potius concitam patienter ferunt. Valet etiam ad coercendam iram irati hominis descriptio, sicuti etiam malorum omnium, quae ira serit; uti etiam contra oppositae virtutis, & compositi animi laudatio placidiorem naturam efficere potest. Neque minores habent vires, lyrae, tubae, & quidam cantus, blandimenta habentes in se, quibus mens resolvatur. *Sicut confusis oculis*, inquit Seneca lib 3.

 de

de ira, *prosunt virentia, & quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quorundam splendore praestringitur, sic mentes aegras studia laeta permulcent.* Est etiam pro coronide animadvertendum, cum calidis, & siccis naturis inimica inedia sit, ut docet Galenus lib. 2. de method. pariter in iracundis ciborum parvitatem damnari; Quippe cum potius calefaciat sanguinem, quam refrigeret; alimentis liberalioribus tales homines nutriendi sunt, & numquam fame exercendi. Quod vero attinet ad curationem morborum, qui ex ira nascuntur; furor, & mania tolluntur repetita ad plures vices sanguinis missione, praesertim tamen in calidis, & sanguineis naturis, frequenti, & generoso opiatorum usu, balneo aquae dulcis, humidis fotibus, emulsionibus, diluentibus, & abundanti Aquae Nucerinae potu; Apoplexia autem moderata sanguinis missione, & etiam, si opus fuerit, repetita curatur, non vehementibus purgantibus, sed potius blandis lenientibus, non calorificis, & siccis decoctis, sed decoctione herbarum temperatarum, emulsionibus, & Aquae potu; quibus remediis usus est etiam Hippocrates in Androphani cura lib. VII. de morbis popularibus. *Androphoni vocis interceptio, ignorantia, delirium,* inde etiam addit. *Solvit haec venae sectio, aquae potus, aqua mulsa,* febris vero tandem facillime lenientibus blandis tollitur, seri v. g. caprini potu, refrigerantibus, acidis, & fervorem contemperantibus, cujusmodi est acidum citri, syrup. de Ribes, de limonibus, & aliis ejusmodi, curatur etiam solo corticis peruviani usu, quem pro certo, & indubitato febrifugo ab experientia primum, inde etiam a ratione edocti omnes nunc temporis proponunt Medici. Quod vero ad diaetae usum attinet, illud in hisce febribus animadvertere volo, non promiscue omnibus febricitantibus in accessione, & ante accessionem uti etiam

in

in ipsa intensione cibum subtrahi oportere; dummodo tamen calida iidem sint & sicca natura, & florida aetatate. Nam licet Praeceptor artis Hippocrates magnus in Aphorismis doceat, *in accessione, & ante accessionem abstinere oportet*; Omnis tamen regula suas patitur exceptiones. Ideo docet Zacut. Lusitanus, pag. 660. ex historia Galeni lib. 1. meth. de juvene in ipsa accessione, contra Romanorum Medicorum opinionem cibis refecto, *calida, & sicca corpora in ipso vigore esse cibo humectanda. Nam corpora exarescunt maxime, cum ob meatuum amplitudinem, subtilitatem sanguinis, & continuam spirituum agitationem facile resolvuntur.*

CAPUT VIII.

De Timore; & de Morbis, qui timori succedunt.

Timor nihil aliud est, quam sanguinis refrigeratio, atque ejusdem sanguinis & vitalium spirituum circa cordis partes ob imminens aliquod periculum concursus ob spasmodicam partium externarum constrictionem; cumque modicus, & quasi spiritu exhaustus sit ille sanguis, qui in partes extimas excurrit, propterea fit etiam, ut cutis universa rigeat, palleat, ac membra quatiantur, pulsusque parvus fiat, & frequens, quo in sensu scriptum reliquit Virgilius.

mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

Quandoque etiam sudor labitur frigidus, cum scilicet ob ingentem hujus animi pathematis vim, serum e sanguine exprimitur, & effertur in cutim, compressaeque

que glandulae tum ſubcutaneae, tum ſebaceae ob nimiam vaſorum conſtrictionem (unde etiam nimio timore perculſis tota cutis criſpari videtur) ſudorem illum extrudunt. Plura emolumenta corpus noſtrum ex timore percipere, docuit etiam Hippocrates, cum in ſecundo Epidemicorum libro affirmet, aliquando incutiendum eſſe. Et quidem timor tenuem aeſtuantemque ſanguinem reprimendo, illius fluxui aliquando medetur. Aliquando etiam febres continuas de medio tollit; quartanasque etiam ſub ipſo horroris principio, & tertianas ex erraticarum ordine ſanat. Ego nobilem Adoleſcentem curabam, qui poſt fluxum ſanguinis e naribus ad duodecim librarum pondus, caetera remedia fruſtra expertus, tandem ſubito terrore commotus, priſtinam ſanitatem recepit. Curabam etiam mulierem, quae poſtquam foetum mortuum edidit, febri lenta continua, cum pertinaci diarrhaea ad quatuor menſes vexata, denique poſt timorem ex neſcio quo ſtrepitu injectum, quem domi, dum eſſet ſola, ſe audiviſſe fatebatur, morbo ſe exſolvit, transacta hepdomade puella quaedam annorum quinque febri tertiana duplici autumnali correpta mihi tradita fuit, quae cum in ignem forte cecidiſſet repentino timore inde concepto a febri ſine ullo alio praeſidio liberata eſt, poſſem hic, & alios referre quamplurimos, qui ſubito timore agitati ob immutatam fluidorum craſim, quae arctius conſtringitur, & quandoque etiam ob maiorem elaſticitatem in fibras excitatam, a magnis morbis vindicati ſunt, ſed hos tantum leviter delibaſſe ſufficiat, ne longius ab inſtituto diſcedam. Accedo nunc ad illa referenda incommoda, quae ex timore corpus noſtrum adoriuntur; cum enim ſanguinem aut diſſolvendo, aut condenſando ad circuitum ineptum reddat, atque ob craſſitiem difficulter admodum capillares arteriolas, ac venulas per-

pervadat ſpaſmodica conſtrictione anguſtiores, nihil potentius eſt ad peſtem contrahendam, fovendamque, quam meticuloſa Idea: Quot vero ex ſubito terrore febrim malignam contraxerint, quod vero Aſthma, non ita facile dictu eſt. Alii motibus convulſivis, paralyſi alii; & quidam etiam aphonia corripiuntur; & quibusdam ex improviſo metu canities ſupervenit, quod ſingulare, & notatu dignum eſt. Inter multos, quos ego ſubito timore perculſos vidi, fuit quidem ruſticus Adoleſcens, viginti circiter annorum, qui cum eſſet a neſcio quadam nocturna imagine hominem mortuum paulo ante referente perterritus vocis privationem, aphoniam nempe cum febri lenta ſtatim offendit, & licet ſanguis ei pluries miſſus ſit, & alia quam plurima admota remedia, non recepit tamen, niſi poſt multos dies vocem, at numquam penitus eandem articulatam, & expreſſam. Apud Foreſtum obſervat. 10. cap. 16. legitur, lethalem orthopnaeam ex terrore obortam eſſe, & ego memini de celebri, & erudito viro Joſeph Panzani, quem tamen honoris cauſſa ſemper nomino, qui cum circa duas noctis horas ſcalam domus ſuae aſcenderet a quadam imagine (creditur a lunarium radiorum tunc ſplendentium reflexione) adeo fuit exanimatus, ut magna voce exclamans in auxilium vocaverit Domeſticos, eisque poſt facti narrationem pavens, tremensque ſilentium imperaverit; quod quidem mandatum magno illius malo ad unguem ſervatum fuit heroque improvida haec obedientia in perniciem ceſſit; ille enim ſub horas ſerotinas reſpirationis difficultatem nactus, inde febrim, tandem mortem occubuit. Quot vero infantes convulſioni obnoxios ob timorem illis imprudenter obiectum curaverim, non expedit, ne nimius ſim in re lippis, & tonſoribus nota, hic commemorare, ita pariter in morbis acutis, cum poſt frigus ſuperve-

nit nimius metus, morbus tranſit in convulſionem; docebat enim Hippocrates in Prorretico: *ex frigore cum adeſt metus, & moeror immerito, convulſione finis fit:* nempe, ut explicat Duretus, ſupervenit convulſio, ut contigit Thaſiae, quae cum eſſet melancholica tandem convulſa facta eſt, & exinde mortua. Abortus etiam ob timorem gravidis evenit, uti etiam gignitur inflammatio. Mulier quaedam ad Mariae Virginis habitans timore ex quodam ſtrepitu bellici tormenti conſternata, ſtatim pleuritide tentata eſt, & poſt abortum duorum foetuum obiit. Semper tamen affectus hic ſpirituum parit confuſionem, unde actionum quaedam anomalia oritur: plurimis autem in urinas, aut in alvum deſcendit hic impetus; aliis etiam ſudores, & foeminis quandoque lunares fluxus movet. Diffugiente, aut alio revocato, qui membrorum tonum, nitoremque cuſtodiebat, ſpiritu tota vita palleſcit, & quandoque ita invertitur ſanguinis craſis, ut non tantum corporis ſuperficiei, ſolidisque ſed & ſanguini albedo inducatur extrito omni rubore; quod in Belgio Nicolaus Pechlinus notavit in quadam Virgine, quae adeo venae ſectionem formidabat, ut, cum poſtea urgente neceſſitate ei ſanguinem mittere, oporteret, ita metu exanimata ſit, ut ex venae contuſione nihil amplius proflueret, quam una, aut altera eaque alba ſanguinis gutta. Quod ſi timor nimium violentus ſit, atque repentinus, nedum animi defectionem, & ſyncopem, verum etiam mortem ipſam parere poteſt. Quod duabus hiſtoriis ex ſacris litteris libro primo Regum decerptis poteſt comprobari. Et prima quidem eſt de Heli Hebraeorum Sacerdote, qui capta Arca, & duobus filiis occiſis, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt; altera vero eſt de Nabal, qui cum David auxilium negaſſet, intellecta ab uxore eiusdem David indignatione factus eſt quaſi Lapis,

& poſt

& post decem dies periit. Quod vero attinet ad curationem morborum, quorum caussa timor est, cum in hisce fere omnibus sanguis veluti coaguletur, neque suum amplius circuitum debita cum celeritate perficiat, statim ad plebotomiam, & quidem larga manu est confugiendum, cum hoc solo remedio opportune praestito experientia edoctus plurimos vano timore prostratos veluti e mortis faucibus eripuerim; neque ab hoc remedio iniungendo nos removere debeant teneri infantes, & debiles senes, cum in primis, nisi adhuc essent lactentes, substitui possint cucurbitulae natibus applicitae, ut docet Mercurialis, & ego pluries feliciter expertus sum, & in secundis, nempe in senibus, parva ex salvatella, sanguinis missio satis esse possit. Valet etiam plurimum ad crassam sanguinis diathesim solvendam Stib. diaph.; sanguis hircinus praep. cinabar. nativ. camphora, diambra, in spasmodicis vero Affectionibus ungula Alcis, radix Paeoniae, cranium humanum, Sal Volat. C. C. spiritus salis Armon. & similia; institui etiam debet optima victus ratio, & vinum prohiberi, cum hoc sanguinem non solvat, sed potius ad coagulationem disponat, notandum tamen est nimia cibi abstinentia timorem excitari. Ideo dicebat Hippocrates, *qui Omittunt prandere fiunt timidi*, rationemque addit Mercurialis, quia colligitur ingens pravorum humorum colluvies in ventriculo, a quibus roditur os illius, indeque timor suboritur.

CAP. IX.

CAPUT IX.

De Spe, & desperatione, & de Morbis, qui ex desperatione oriuntur.

Cum spes nihil aliud sit, quam illa animi affectio, quam bonum absens aliqua cum difficultate imprimit, & non aliter nos commoveat, quam si arduum revera non foret, omnis industria adhibenda est, ut conservetur, cum de earum rerum genere sit, quae numquam non prosunt; haec etiam a Medico in aegris temperatis, & timidis excitanda, atque fovenda prudenter est, cum & ipsa ad sanitatem consequendam summopere conducat. Quandoque etiam spes, quam aeger in Sanctorum miracula patrantium aliquibus ponit, in caussa est, ut morbus, post votum, aut benedictionem, omnino facessat, quamvis nullum miraculum intercedat; & id omne soli nervorum laxationi, velociorique spirituum animalium motui, ob conceptam fiduciam sit acceptum referendum in aegris vero intemperantibus Medicique nutui non parentibus tollenda de medio spes est, & salutaris si fieri possit, timor est ingerendus, ne parvum morbum aspernantes in deteriorem ruant. Quod si spes ipsa eludatur, atque consecutionem illius boni, quod prosequitur, desperet, in desperationem degenerat, & ex illa multa profluunt mala, sed praecipue furor, & delirium melancholicum, volunt furiosi ex desperatione, ut plurimum sibimetipsis mortem ultro accessere; sed illos non raro, ubi ad rem ventum est, sui poenitet erroris; vidi ego adolescentem, qui cum in clericali militia, cui nomen dederat, perseverare se posse diffideret, se projecit in puteum; at statim se recepit, vitamque summopere servare contendit,

tendit, quem morem etiam optime expressit Ludovicus Areostus sub Ariodantis persona cantu sexto:

Ma come avviene a un disperato spesso,
Che da lontan brama, e desia la Morte,
E l'odia poi, che se la vede appresso,
Tanto gli parve il passo acerbo, e forte:
Ariodante, poichè in Mar fu messo,
Si pentì di morir; e come forte,
E come destro, e più d'ogni altro ardito,
Si mette a nuoto, e ritornossi al lito.

Morbi ex hoc vitio originem trahentes difficilis sunt curationis, quia maximam habent in cerebro impressionem, & quidem pro furore compescendo sanguinis missio facienda est, opiata partitis vicibus, & saepe in usu revocanda, pedibus, manibus, & hypochondriis humida balnea apponenda, ut crispatio, irritatio, atque solidorum meningaeorum compressio tollatur. Spes etiam addenda est, & optimis Amicorum, hominumque auctoritate praestantium, arrepta prudenter occassione, consiliis, & monitis firmanda. Delirium vero melancholicum generosa sanguinis missione curatur, nec non etiam repetitis purgantibus copiosa sub dio exposuti seri potione ad plures dies suppeditata Balneis etiam universalibus, & repetitis vincitur. Curavi quendam Rusticum, qui cum ex Sacerdotis imprudentia se amplius suorum peccatorum misericordiam a Deo consecuturum esse desperaret, delirio melancholico affectus est; Quod tamen delirium post repetitas sanguinis missiones, purgationes, & seri caprini usum, Aponi Balneis persanatum est.

CAPUT X.

CAPUT X.

De gaudio, & moestitia, & morbis, qui ab iisdem proveniunt.

Quoniam hae duae animi affectiones, gaudium nempe, & moestitia hoc nostrum argumentum claudunt, de iisdem unico tractatu optimum judico disputare; praesertim cum de gaudio pauca, de moestitia autem plurima dicenda sint; ex primo enim fere semper bona, ex secunda vero fere innumerabiles calamitates, & damna in miseros mortales irruunt. Hinc illud in sacris literis: *laetitia aetatem floridam facit*; *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Et Aristotelis lib. 10. ethic. cap. 2. *tristitia*, inquit, *omnes naturae actiones impedit.* Laetitia ut plurimum bonam valetudinem inducit, ex praesentia boni percepti, quia sensus nostri grata affectione extrinsecus oblata, & intrinsecus deinde impressa oblectantur; unde etiam vellicationes, titillationes, atque internae commotiones in sanguine, & partibus solidis percipiuntur, & praecipue in corde, ut patet ex pulsu magno, & elato ob uberiorem sanguinis appulsum; sed & septum quoque transversum subinde commovetur, atque amplificatur, quandoquidem facillime consequitur inde risus, & Thoracis amplitudo, simulque una totum corpus exultat, & roseo colore perfunditur, animadvertendum tamen est illud Horatii:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Ideo laetitia etiam ipsa, si modum excedit, virium jacturam affert, & impedita systole ob nimiam cordis ventriculorum dilatationem ad repentinam mortem homines agit, ut de Sophocle, de Dionisio Tyran-

ranno, de Diagora Rhodio, de Chilone Lacedaemone in amplexu Filii Victoria in Ludis Olimpicis exultantis, & de Leone quarto, audito nuntio de recessu Gallici exercitus ex Urbibus Italicis, accepimus. Adeo in omnibus cavendum, ne quid nimis.

Quot vero sint illa mala, quae ex moestitia solent contingere, non ita facile dictu est; cum enim ex tristi hac affectione mens semper in aliqua molesta cogitatione haereat ac defatigetur, fibrae cerebri, & solidorum meningaeorum plus quam par est, in illo munere exerceri debent, unde ex ventriculo succi nervei distrahuntur, tunicarumque illius visceris tonus elanguescit, ventriculus ipse debilitatur alteraturque digestio, ex quibus rebus omnibus chylus crudus, & salsus generatur, qui postea innumerabilium calamitatum fons est, & origo, ita enim affectus chylus facillime mesenterii glandulas inficit, maioremque salsitudinem, & acritatem stagnando nanciscitur, unde primum obstructiones, inde etiam ob spasmodicam in nervosis membranulis irritationem affectus hypochondriaci gignuntur. Quod si chylus ita affectus in universalem sanguinis massam feratur, naturalem illius pervertit crasim, atque pro varia cuiusque affecti hominis natura variaque dispositione, in aliquo dyscrasiam scorbuticam, in altero cachexiam, in nonnullis, praesertim in iis, qui callida, & sicca natura praediti sunt, melancholiam, in aliis menstruorum suppressionem, hydropes, febres lentas, & etiam tabidas, (ut Galenus lib. 10. Meth. cap. 5. narrat de femina, quae autumno ex tristitia febricitare cepit, ac deinceps in tabidam incidit febrim, & icteros, ut narrat Actuarius libro primo de praevidentiis ex urinis de quodam familiari, qui ex moerore incidit in icterum) aliasque similes aegritudines producit. Quod ad moeroris curationem attinet, danda opera primum est, ne hoc animi pa-

pathema ſuas in animo agat radices, & in ipſo ſui ortu eſt funditus, quoad per nos fieri poteſt, evellendum, ſi enim triſtis illa animi affectio exularet, quam felix vita hominum eſſet, & ad plures annos incolumis produceretur. Alexander Macoppe celeberrimus ille in Gymnaſio Patavino Practicae Medicinae Profeſſor, Praeceptor meus, & Noſtrorum temporum Hippocrates jam ſuam aetatem ad annum octogeſimum ſine ulla notabili infirmitate dempta una quartana, perduxit, ſed nunquam, ut ipſe quoque fatetur, ob ullas cauſſas, ob ulla infortunia, licet quamplurima, quamque maxima obverſarentur, fuit animus ejus perturbatus. Non igitur animus parvo etiam hujus pathematis vento ſtatim ſubmittendus eſt, ſed potius rectae rationis uſu, rectaque cogitatione ejusdem vis, atque impetus retundendus: & talis induenda nobis natura eſt, ut nunquam, aut ſaltem parum moeſtitia afficiamur. Duo ſemper ſunt in rebus adverſis cogitanda prudenti viro; ex triſtitia damni ſe plurimum paſſurum; neque idcirco rebus ipſis, pro quibus angitur, ullum conſilium, aut levamen allaturum. Imitari operae pretium ſit Regium Prophetam, illiusque exemplum ſimilibus in rebus in uſum ſemper revocare. Huic Regi praeter alia multa incommoda, quae minatus eſt Nathan, ob ejus peccata, etiam filii mortem nunciavit, quae ſtatim poſt Prophetae diſceſſum morbus occupavit: in re tam adverſa, & lacrymabili David Dominum deprecari, jejunare, humi jacere. Ubi vero infans die ſeptima extinctus eſt, hoc Rex audito, aſſurgere, lotus, unctus, mutatis veſtibus templum ingredi, adorare, inde Domum reverſus cibum capere. Tunc ſervi: *Quis eſt ſermo, quem feciſti, propter infantem? cum adhuc viveret, jejunaſti, & flebas: mortuo autem puero ſurrexiſti, & comediſti panem, qui ait, propter infantem, dum adhuc viveret, jeju-*

jejunavi, & flevi, dicebam enim, quis scit, si forte donet eum mihi Dominus, & vivat infans? nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? nunquid potero revocare eum amplius! Facillime etiam, & vel levi de caussa moeror in nos irrepit, tum ob consuetudinem, depravatamque imaginationem, tum ob falsas, quas in mente gerimus rerum Ideas. Si quis enim in rebus adversis dolorem non sentiat atque tristitiam, a vulgo digito notatur, & deridetur.

> *Quam multa injusta, ac prava fiunt moribus.* (Terent. in Andria sub persona Chrem.)

Quid plura? dolore quandoque ex iis rebus afficimur, quibus potius esset nobis laetandum; idque ut plurimum evenire solet, quia a pueritia pluribus praejudiciis mens nostra fuit imbuta. Quamobrem ne tristis haec affectio animos nostros inficiat, vulgaris deridendus mos est, & ab eo recedendum, resque, ut vere se habent, ita concipiendae. Adversae enim res, aliae nobis ob quandam naturae necessitatem obveniunt, ut mors, & senectus; aliae autem, ob vicissitudinem, qua humanae res mutantur, quid igitur dolendum, cum earum natura ita ferat? dolendum esset potius, si quid male ob nostram inconsiderationem, negligentiamque nobis caderet. Quod si affectione illa tristi obruatur animus, seque illi subjiciat, tunc remediis uti opus est, quae aut tristis illius ideae extinctione, aut ejusdem distractione animum ipsum exhilarent. Inter primi generis praesidia nullum aliud praestantius inveniri potest, quam vini potus, & aliquando etiam meri, usque tamen ad moderatam hilaritatem, non vero usque ad immoderatam ebrietatem. *Nonnunquam*, inquit Seneca, *& usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas, eluit enim curas, & animo animum movet, ut morbis qui-*

quibusdam ita triſtitiae medetur. Licet enim ebrietas ipſa plurimum ad triſtem illam ideam obliterandam valeret. Nam

> *Quid* (inquit Horatius lib. 1. Ep. 2.) *non ebrietas deſignat ? operta recludit,*
> *Spes jubet eſſe ratas, in praelia trudit inermem,*
> *Sollicitis animis onus eximit:*

numquam tamen laudanda eſt, neque proponenda, cum malum morale intrinſecus vere ſit, hominesque animalibus rationis expertibus ſimiles reddat. Moeſtitiam vero adimunt triſtium idearum diſtractione, alias imagines in mentem ſubinde ingerendo, blanda amicorum colloquia, ludus, in aerem ruſticanum migratio, peregrinatio, navigatio, equitatio, cantus ſymphoniae, & muſica; Ait enim Celſus Lib. III. Cap. XVIII. *quorundam diſcutiendae triſtes cogitationes ſunt, ad quod ſymphoniae, & cymbala, ſtrepitusque proficiunt.* Quoniam vero in curandis animi Affectibus pluries de cantu, & muſica mentionem fecimus, quae ad curandos plures morbos multum etiam confert, ut docent etiam Socrates, Pythagoras, Caelius Aurelianus, Democritus, & omnes Antiqui, ut videre eſt apud Mercurialem de Gymnaſtica lib. 6. cap. 5. non injucundum, fore puto inquirere quomodo muſica animi affectus leniat, iisque medeatur. Duplici modo, ni fallor, animi morbis muſica ſuccurrit, nervearum partium commotione, & mentis diſtractione, cum enim, ut inquit Ariſtoteles, *quidquid movetur ab alio moveatur*, muſica non poſſet noſtris calamitatibus mederi, niſi aliquod inter homines,& Muſicam corpus intercederet. Quodcum aliud eſſe non poſſit, quo ſonitus ad aures deferatur, quam Aer, ut etiam Boylaeus experimentis in ſua machina peractis demonſtrat, dicen-

dicendum eſt, aeris undulatione, & vehementi eiusdem percuſſione, quae a muſicis inſtrumentis fiunt, atque in partes membranoſas incurrunt, blande titillari nervos, eosque praecipue, qui ſunt cerebello inditi, cum per cerebellum nervi auditorii, ut docet Willis anatome de Cerebro, tranſeant, & ab ipſo dependeant; cumque illa titillatione, lenique commotione ſpiritus animales excitentur, mentem quodammodo intendunt ad voluptatem, delectationemque, unde ſequitur, ut commotio haec mentem a triſti illa cogitatione, & intentione diſtrahat. Alii vero facillime, alii difficulter diſtrahuntur, delectanturque, quia primi tenuiores cerebello ſunt, duriores ſecundi, uti etiam quidam ſunt, qui non ſolum particulari modulamine, verum etiam particulari inſtrumento, alii ſcilicet fiſtula paſtorali, alii tympano parvo, cithara, lyra, cymbalo, fidibus; alii organo, & tibicinibus varii generis, alii muliebri, alii virili cantu magis capiuntur, pro vario cujusque ingenio, quod a varia conſuetudine, variaque fibrarum textura aut rariori molliorique; aut compactiori, & duriori effici videtur; cum prima placido, & dulci cantu, aut ſonitu: ſecunda vero duntaxat a pleniore, & vehementiore concentu commoveatur. Haec vero delectatio, qua homines in muſica fruuntur, diu non durat; quia in actione ſolidorum nervoſorum, & animalium ſpirituum conſiſtit; in longe autem actione, & ſolida, & ſpiritus, ut docet etiam Ariſtoteles, defatigantur. Porro ſingulis ex animi moerore morbis ſua apponenda ſunt remedia; & primo quidem ſtomachi imbecillitati, qui caeterorum supervenientium morborum fons, eſt, & origo, ſuccurrendum. Solebat enim magnus Hippocrates Mari ſtomachum comparare, quia ſi toti orbi mare communicat aquas, ventriculus toto corpori communicat morbos, ideo Ægyptii exenterare cadavera ſolebant,

& ventriculum ad solis radios expositum; tamquam Auctorem omnium morborum, percutere. Inter praecipua, quae hoc incommodum respiciunt, remedia est cibi abstinentia, & maxime vespertini, quo semper cruditates, indigestionesque augentur. Docebat enim Sanctorius in sua Statica: *qui animo perturbato coenatum pergit, eum minus digerere, quam si sit laetus, & tranquillus,* loco vero coenae ad stomachi cruditates auferendas substitui potest usus Thè, aut Caffè, aut, si crumena sufficit, Cocolatae, quae est veluti ambrosia, quae exhilarat animum, spiritus reficit, & imbecillo Stomacho succurrit. Cibi vero assumendi sunt frigidi, &, ut Celsus docet lib. 4. cap. 5. qui potius difficulter coquuntur, quam facile vitiantur. Ad potionem pariter aliquibus magis convenit aqua, quam vinum, & praecipue iis, qui sunt calidae, siccaeque naturae, cum ex Hippocrate Aqua vorax sit, quae tamen frigida exhibenda est, aptissimum aliis est vinum frigidum, vel certe bene calidum meracum, potissimum Rheticum, vel Allobrogicum, aliudve, quod & austerum, & resina conditum est. Sunt etiam ex eodem Celso lectiones, & exercitationes superioris partis necessariae; item unctiones, & frictiones, gestationes, & navigationes; uti etiam vociferatio, quod remedii genus, vocem nempe exercendo, magni semper fecerunt Antiqui, qui recentiores in praescribendis diaetae, & exercitationis legibus multum superant. Hac in re legendus est Oribasius Lib. VI. Cap. VIII. Galenus de tuenda valetudine Lib. 11. Cap. 2. & Lib. 8. de Medica. locali. Cap. 4. Aaetius Lib. 3. Cap. 5. Et Paulus Aegineta lib. 1. Cap. 19. Blande etiam convenit alvum subducere, quo casu in pilulis potius praebenda ex Marcato Medicina est ex Rhabarbaro, & Aloè confecta, quae stomacho diu detenta eundem simul purgat, & roborat.

Stomacho pariter cruditatibus referto amara apta ſunt, ut Abſinthium, quod exhiberi etiam poteſt extractum per tincturam, vel ſub alia forma paratum. Quantum vero etiam conferant martialia medicamenta, jam apud omnes in confeſſo eſt, eſſetque jacturam temporis facere, ſi ea nunc vellem laudare. Conſtat, nullum praeſtantius ſuppetere medicamentum, quod fibrarum tonum excitet, ac firmet, in ipſo enim modicum caloris ineſt (ut tradit Galenus) ineſt vis abſterſionis, & penetrationis. Tandem ut in re tanti momenti nihil intentatum relinquamus, talis diaeta inſtituenda eſt, ut legumina, carnes cum adipe, & caetera craſſantia, & meatuum cavitates replentia prohibeantur, edulia vero potius, quae ſpirationem aperiunt, in uſum revocentur, ſomnus non ſtrato, & porrecto corpore, ſed potius contracto capiendus eſt; viſcera enim unita concoctionem adjuvant, facilioremque reddunt, ut probat etiam Sartorius in ſua Statica de ſomno, & vigilia. Dempta ventriculi cruditate, excitatoque fibrarum tono & robore, faciliime etiam obſtructionibus, & Ictero ſubvenitur; in quae, praeter pleraque ſuperius enarrata medicamenta, opportune cadunt Aquae Thermales, praeſertim ex ſale, & chalybe vim habentes, Pilulae tartareae Bontii, Gumma Amoniacum, Rhabarb. pulveres cachectic. Quercetani, ſal Abſcinth. tartarus ſolubilis, vitriolat. chalybeat. cum decoctione Graminis fragariae, trifolii, cuſcutae curcumae, cichorei, marubii, & ſimilium radicum, & herbarum, quae frequenter a me ſimilibus in affectionibus uſurpantur, tum quod noxa, ac damno nullo afficiunt, tum quod mirifice laborantes hiſce in noſtris Regionibus juvant. Debemus etiam in Ictero excitare laetitiam, vinum generoſum exhibere, ſudores, & labores commendare; & ea omnia proponere, quibus homines dignitate ful

gentes, & Regii faſtigii gaudent. Affectiones hypochondriacae & Melancholia difficulter tolluntur, nec niſi primigeniis, quibuscum cohaerent, funditus extirpatis morbis, moeſtitia nempe, & ventriculi imbecillitate, & cruditate, eadem igitur remedia, quae in animi moeroribus; & ventriculi cruditatibus ſupra laudavimus, in hisce etiam affectionibus amplectenda ſunt; quibus etiam addi poſſunt ſucci herbarum aperientium, ut agrimoniae, boraginis, cichorei, fumariae, betonicae, & ſeri Caprini depurati, vel nitrati, vel tamarindati, potiones vel per ſe, vel poſt uſum caſſiae, & pulpae Tamarind. eſt etiam proficuus, praecipue in Melancholia, uſus pilularum de tribus de ſuccino Cratonis, de hiera cum Agarico, de mercurio et iam crudo nunc temporis in uſum revocatis & mirifice juvantibus, ut ſaepius expertus ſum in iis, quos identidem curandos accepi. Spiratio etiam libera in melancholicis ſervanda eſt, & conſolatio aliqua, ſi fieri poteſt, inducenda. Unde Sanctorius in ſua Statica de Animi affectibus, legem eam ſancivit, melancholiam duplici via ſuperari *vel libera ſpiratione, vel aliqua continua animi conſolatione.* Venae etiam ſectio in hisce affectibus convenit, & ſedalium venalium cum generoſa ſanguinis miſſione apertio; *tutius enim, & plenius*, ex Zacuto Luſitano, *in plenitudine melancholica emittitur ſanguis, quam in plenitudine bilioſa*; & ipſa haemorrhoidum apertio ſanguinem directe ex affectis partibus educit, ex hypochondriis nempe, & ex capite, lac quoque prodeſſe poteſt, dummodo in ſtomacho non corrumpatur. Saepe etiam cauteria in brachio imprimuntur. Curabam Corii venditorem magna obrutum Melancholia, qui cum doloribus vagis in Abdominis regione frequenter cruciaretur, macieque extenuari ſe ſentiret, putabat, ſe toxicum hauſiſſe, deque ſalute ſua prorſus actum eſſe putabat. Le-

nienti-

nientibus praeſtitis, & duabus ex brachio, & ex pede phlebotomiis peractis ſedales venae ſecantur, inde herbarum ſucci, cichorei nempe, Betonicae, Fumariae, Agrimoniae miniſtrantur. Poſtea Pilulae de tribus cum copioſa ſeri caprini tamarindati, & ſub Dio expoſiti potione ad tres, & aliquando etiam ad quatuor libras usque adhibentur. Cauteria quoque in brachio inuruntur; Lac item per quadraginta dies exhibetur, ex quo coepit nutriri. Tandem uſu pilularum ex crudo mercurio perfecte convaluit. Illuſtris quidam Civis circa quadrageſimum quintum aetatis ſuae annum naturae calidae, & ſiccae, & habitus gracilis ex ſaepius repetito animi moerore in melancholiam hypochondriacam, maximis ructibus ex ſuperiori, & flatibus ex inferiori parte erumpentibus, eſt delapſus. Huic tum ex praepoſtero medicamentorum uſu, tum ex depravata vivendi ratione ſpasmus, vertiginoſa capitis affectio, vagus per thoracis regionem dolor, obſtinata alvi ſtipticitas, & nocturnae vigiliae acceſſere, poſt multa irrita medicamenta, conſilio deceſſoris mei, Aponi bibit aquas, a quibus tamen ſtatim deſtitit, quia egredi per diuretica vaſa minime poterant, altero adveniente anno, conſilio etiam celeberrimi Praeceptoris mei Alexandri Macoppe, Doctiſſimi primarii practicae Medicinae in Gymnaſio Patavino Profeſſoris, quem honoris cauſſa nomino, methodicam verno tempore inſtituit purgationem, urente Canicula Recobaris ſumit Aquas, aliisque utitur medicamentis, a quibus levamen aliquod accepiſſe videbatur. At non ita multo poſt, iisdem fere incommodis urgetur, altero etiam revertente anno, veris tempore, ſe fidei meae committit, arreptaque ſtatim occaſione purgationem exordior, & poſt venae ex brachio ſectionem, ſedales venas aperio cum ſanguinis ad libram cum dimidio detractione, ut nimirum etiam vitioſi ex affe-

ctis partibus educerentur humores, inde pilulas de tribus, pilulis de ſuccino Cratonis iunctas, ſingulis quaternis diebus, per tres vices, cum ſeri Caprini depurati, & tamarindati, ac ſub Dio expoſiti ad tres, quatuorve libras potione exhibeo. Poſtea Junio menſe, quod vis tum magis herbarum vigeat, per triginta dies lacte Caprino uti jubeo ſingulis diebus mane, & ſero duabus unctionibus: altera nimirum ſpinali medullae admota ex oleo lumbricorum terreſtrium, & viperino parata; altera vero umbilicali regioni totique abdomini ex butyro recenti, & oleo amygd. dulcium compoſita, tandem Septembri menſe, per alios triginta dies, idem lac praeſcribo, dum ruſticatur. Quibus praeſidiis alvus lubrica redditur, dolores, & affectiones ſpasmodicae cedunt, appetitus acuitur, ſeque homo ab eo, qui fuerat, veluti mutatum fatetur, & licet aliquando aliqua ex illis morbis affectio exſurgat, facillime etiam uſu pilularum ex mercurio conſtantium compeſcitur. Salutaria etiam in hisce affectionibus ſunt Balnea, victus humidus, & inſpiratio intra cohibita, & compreſſa; prima enim illa duo praeſidia fibrarum laxitati, & ſpirationi opitulantur, tertium vero vaſa interiora dilatat, partes intimas comprimit, impurosque ex infarctis glandulis humores exprimit. Quod vero ad affectionem ſcorbuticam, ut appellant, attinet, (ſit tamen mihi venia, ſi ſuperius diſpoſitum ordinem perverto; nunc enim illos jungo morbos, qui in curatione maximam inter ſe habent affinitatem) cum hoc in caſu a vapida, & faeculenta ſanguinis diatheſi, & a deperdita ſpirituum animalium ſubſtantia morbus hic pendeat, illa ſuadentur remedia, quae ad ſanguinis maſſam perpurgandam & animalium ſpirituum reparandam ſubſtantiam inque priſtinum tonum reſtituendam maxime valent, pollentque. Inter haec ſunt decoctiones ligni Sanct. ſalſae parillae, visci pomati,

mati, aut quercini C. C. rafpat. addendo in ebullitionis fine fummitates Pini, aut fumariae, agrimoniae, beccabungiae folia. Inter etiam praecipua remedia ponenda eft chalybis tinctura; praeterea lac, The, Theriaca, exercitatio, rufticatio, peregrinatio, & animi hilaritas apto tempore funt frequentanda. Nobilis quidam Civis, circa fexagefimum aetatis fuae annum, naturae fanguineae, & habitus mediocris ex diuturna moeftitia affectionem eft fcorbuticam nactus, quae cum, praeter dentium vacillationem, rheumaticam in pulmones fluxionem produceret, pulmonis tabem portendebat. Verno tempore, prudentiffimi etiam Praeceptoris mei, quem faepe laudavi, confilio, per quadraginta dies huic exhibetur decoctum ex falfa parilla, ex C. C. rafpat. & vifco Pomorum compofitum, cum fummitatum Pini additione in Decoctionis fine, quo tempore etiam ufus fum Pilulis Ricardi Mortonis mediocris magnitudinis ad pulmonis tabem impediendam; poft talia praefidia ad Botridis decoctionem cum Balfamo Tolutano julepizato, ut ajunt, fumendam aegrotantem difpono, quibus omnibus peractis fub Julii menfis finem thermales Virginis Aquas, utpote fulphureas, praefcribo, a quibus tamen ftatim ceffavit, quia, praeter fummam virium imbecillitatem, etiam majorem appetitus proftrationem inducebant, neque libere per ureteres egrediebantur. Augufto menfe, poft Caloris diminutionem, cum The decoctione lac bibere jubeo, in eoque per quadraginta Dies perfeverare. Appetitus tamen femper dejectus manet, virefque fractae, & corporis extenuatio in dies magis fe prodit. Nefcio tamen quonam fato evenerit, ut poft diuturnum Lactis ufum alvus fluida, quae femper dura fuerat, etiam plus quam par effet, evaferit, tum ad id avertendum theriacam cum vino generofo ex meo confilio fumiens, inde reftaurare vires, ap-

appetitum recipere, nutriri aliquantum, & recreari. Sumpta poſtea autumni occaſione ruſticatur, tum per varia loca perigrenatur, praeterque meam expectationem meliuſculam valetudinem ſuam facit, ſed hyeme adhuc anorexia ſuborta conſumptis viribus, poſt duos annos tabe confectus eſt. Sed de febri tabida ex moerore ſuperveniente duae apud Foreſtum leguntur hiſtoriae. Prima obſerv. XI. pag. 135. de Topiario quodam, qui factus dives, cum in horto egregiam domum ſibi conſtruxiſſet, & ſolitarius ibidem viveret prius melancholia affectus, inde ex moerore vehementi, ac longo phthiſica febri correptus eſt. Altera obſervatio. 11. pag. 138. de Magiſtro Cornelio regio juris perito, qui Delphis in inſigni magni ſpeculi habitabat longo tempore vir facetus, & hilaris, at poſtquam ultra annum in comitiis tum in Flandria, tum in Brabantia apud Principem Auriacum Illuſtriſſimum egiſſet, melancholiam aliquam concepit, ex qua paulatim macilentior factus, tuſſicula etiam ſubinde levi incidente contabuit. Sequitur, ut de cachexia, hydrope, & menſium ſuppreſſione verba faciam; & primum de cachexia, & hydrope, qui morbi maximam in ſui vel productione, vel curatione affinitatem habere videntur. Impeditis enim ex depravato chylo in glandulis ſecretionibus, tota ſanguinis maſſa ichoribus in primo morborum genere ſcatet; unde depravatus cutis color, maius corporis pondus, tumores in corporis circumferentia, & praecipue in pedibus apparent, in hydrope vero praeter haec omnia ſymptomata etiam univerſi corporis tumor, cum ſeroſi laticis ſtagnatione conſpicitur; transeundo enim ex arteriis in venas fluidarum maſſa ob eiusdem motus pigritiem ſerum ob maiorem gravitatem ſecernitur, interque membranas corporis circumferentiae, atque intra abdominis cavitaes ſubſedit, has ſi non vincant, ſaltem moderantur

rantur affectiones Gummi ammon. Rhab. elect. Tartar. vitriol. Sal. Abſinth. Pilul tartareae Bontii, vinum Medicatum chalybeata, Abſinthium, pulegium, chamedrios, decocta pariter ſudorifera ex lignis ſaſſaphras, viſci quercini, C. C. raſpat, ſalſ. parillae, raſur, eboris, ſantal. citrin., addendo in fine ebullitionis radic. calam. aromat. cum foliis ſalviae, & chamaedrios, grana etiam juniperi contuſa, & in vino generoſo cocta optima ſunt, uti etiam proficua ſunt ſpiritus ſalis, armoniaci, tinctura tartari, & eſſentia Abſinthii, aliaque huiusmodi, quae ad infarctas humoribus vitioſis glandulas expediendas, ad fluidorum maſſam depurandam, & ad fibrarum tonum roborandum mire faciunt. Quod vero ad menſtruorum ſuppreſſionem ſpectat, vena in prima ſecetur; per epicraſin corpora etiam purgentur, inde aperientia tandem ſpecifica menſes moventia praecipiantur. Inter caetera validiſſimum extat remedium, quod pluries expertus ſum, maximeque in duabus virginibus omnino proſpere; quarum altera in Xenodochio ad viginti duos annos citra ullum florem decumbebat. Altera vero, mihi ſanguine juncta, in Divi Bartholomaei Cenobio cum educaretur, decimum nonum aetatis ſuae annum agens, febri alba continuo, ob menſtruorum abſentiam conflictabatur: hoc vero remedium paratur ex radic. Aſſar. & Agaric. alb. a. ʒ iii., ex rhab. elect. ʒ i. ſ. ex herb. ſab. M. S. ex croc. ℈i. ex mac. ℈ſ. infuſ. per noctem in Vin. alb. lib. ii. cujus ℥ vi mane, & veſperi ſumendae ſunt, atque aegra calido in lecto detinenda, in priſtinam quoque laetitiam revocandae mulieres ſunt, quod ſi fieri poteſt, ſine ullo praeſidio alio ſtatim morbus depellitur, ut nuper mihi contigit in honeſta illa puella; quae ad Salvatoris templum in vico Divi Petri degebat, cui plura cum eſſent in caſſum ad menſtruorum ſuppreſſionem tol-

tollendam remedia remediis cumulata, demum in Patriam cum reverſa eſſet, & agi de nuptiis ſuis audiſſet, ob conceptam laetitiam in priſtinum ſtatum redacta eſt.

Plura adhuc de animi morbis dicenda ſint, ni verear, ne Lectoribus meis forte faſtidium creetur. Illud tantum in hujus primi Libri fine animadverti velim, quod etiam Sanctorius in ſua ſtatica de Animi affectibus aphor. quadrageſimo ſeptimo edocuit: bona valetudine magis gaudere homines, ſpirationemque magis ſalutarem habere, qui nunc hilares, nunc moeſti, nunc iracundi, nunc timidi, quam qui unico, licet bono, ſemper afficiuntur animi pathemate.

DE

DE MORBORUM SUCCESSIONE LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Febribus.

Cum febris graviſſimus, difficillimus, idemque frequentiſſimus morborum nobis occurrentium ſit, de illa in primis verba facere opportunum duxi, ut ſtatim quae a me in earum curatione obſervata ſunt, lectorum oculis ſubjiciantur. Non hic febrium eſſentiam, naturam, differentias, proprietates, modoſque referam; cum hoc ſatis erudite a pluribus omni tempore ab Hippocrate uſque ad Aetatem noſtram ſit praeſtitum. Solum, quae praeſentis inſtituti ſunt, referam, tripliciter febrim conſiderando, vel ut aliis morbis ſuccedit, vel ut ideam mutat, vel ut in alios tandem degenerat morbos. De ſingulis hisce mutationibus breviter, & perſpicue diſſerendum.

CAPUT II.

De febri aliis morbis ſuccedente.

Febris quae ex aliis ſupervenit morbis, aliquando

quando bona, aliquando mala eſt, bona dicitur, quando morbis frigidis incidit, ut pituitae, rheumati, fluxionibus, doloribus articularibus, apoplexiae, jecinoris, & hypochondriorum ſine inflammatione doloribus, ebrietati, & aphoniae; docente enim Hippocrate, *ſi quis ebrius repente obmuteſcat, repente moritur, niſi ſuperveniente febri vocem recipiat;* nervorum etiam diſtentioni, & rigori, aliisque ſimilibus morbis febris ſuccurrit: hic tamen exclamaret Seneca, abominandum remedii genus, quo ſanitatem debemus morbo. Hoc loco animadvertendum ab induſtriis Medicis eſt, febrim tunc tantum praeſidio illis, quos ſuperius enumeravi, morbis eſſe, quando tales morbi a frigida, non autem calida cauſſa producuntur, tum quando, quae hisce frigidis morbi ſupervenit febris, non lenta, non parva, ſed magna, & vehemens eſt, ut viscidam; lentamque materiem morbos gignentem bene diſſolvat, bene agitet, & conſumat; ſcripſit enim in Prorretico Hippocrates, *convulſionem ſanat exorta febris acuta, quae prius non fuit, quod ſi prius fuerit, exacerbata.* Quae verba intelligenda eſſe, inquit Duretus, non de febri, quae ciet humores, ſed quae excludit, ac diſſipat, exemplum in Numenio filio habemus, cujus Apoplexia repente ſuborta, ſuperveniente lenta febri, licet prius ſanabilis, facta eſt omnino funeſta. Id etiam vidimus nos in Bagaroto, & Baldo ictis Apoplexia, quibus ingruens lenta febris, licet aliis ſalutaris videbatur, attamen funeſtiſſima fuit. Porro adeo verum eſt, febrim frigidis morbis ſuppetias ferre, ut Magnus Hippocrates doceat, quandoque eam eſſe excitandam. Ideo in ſexto epidemicorum libro ſic habet, *ſi puerperis ſpasmus fiat, ignem fac,* docet enim in eiusdem loci explicatione doctiſſimus Mercurialis, per ignem febrim intelligi debere. Quantum autem utilis appareat febris, frigidis morbis ſuper-

perveniens, ex hiſtoria pueri Canetti clare unusquisque intelligere poteſt. Poſt febrim Puer iſte tertianam duplicem per *acriſiam* ſanatam, intolerabilibus doloribus, & cruciatibus in brachiis, & cruribus cum duris partium tumoribus, & motus impotentia aggreſſus eſt: ad tales fugandos morbos plura incaſſum adhibentur remedia, & paucorum menſium intercedente mora febri iterum, & quidem acuta corripitur, & nullis aliis adhibitis remediis poſt paucos dies perfecte convaluit. Peſſima vero febris eſt, quae inflammatoriis, ut vocant Renum, veſicae, articulorum, inteſtinorum, hepatis, Lienis, ventriculi, Gutturis, oculorum, aurium, Capitis doloribus ſupervenit; item peſſima eſt, quae haemorrhoidum, lochiorum, menſtruorum ſuppreſſionem conſequitur; in quibus venae ſectio, & refrigeratio convenit. Nec minus funeſta etiam eſt ſi ſanguinis ſputo ſuccedit, vel etiam ſi alvi fluxum comitatur; uti etiam Aeryſipelata, ulcera, vulnera, & alia hujus generis mala, quorum curatio, prout ſe occaſio offert, aliis in locis proponitur, ne igitur jacturam temporis hic faciam, ad alia tranſeamus.

CAPUT III.

De Febri Ideam mutante.

Febres Ideam mutantes dicuntur illae, quae ex acutis in chronicas, & ex longioribus in breviores migrant, ex quo genere praecipue ſunt illae tertianae febres, quae vel aeſtivo, vel autumnali tempore oriuntur, de quibus ſtatim nonnulla, & jucunda, & ſcitu digna ſcribere aggredior, cum enim obſervaverim, hasce febres, vel ex quacumque levi occaſione, vel etiam ex natura ſua facile recrudeſcere, & recidivas fieri, & ex acutis in chronicas verti, non ſine medicae artis dedecore aliquo, cum aegri in Medici culpam perti-

pertinaces talium febrium insidias conferentes, Medico suo dimisso, ad alios, atque alios confugiant (quod non solum mihi aliquando, verum etiam decessoribus meis, & aliis saepius accidit.) cogitavi maturius de earundem curatione, eandemque saepe, ut magis existimationi meae, & aegrotantium saluti consulerem, semper nova praesidia, novamque methodum experiundo immutavi. Primum in vulgi deveni opinionem, febres ex corticis peruviani usu recurrere, quippe qui tantum febrilia fermenta sopire, non autem omnino extinguere, ac dissipare posset. Coepi itaque hasce febres sine eiusdem corticis usu curare. At plures, & fortasse etiam majores recidivas offendi, nam cum febres absque febrifugi ut ajunt, usu longiores sint, magis magisque aegrotantium vires prosternuntur, succi digestivi alterantur, nec non etiam ventriculi tonus debilitatur; ut vel ex levissima occasione ingravescant febres, atque aegrotos rursus aggrediantur. Inii rationem aliam, & post primam febrium expulsionem curavi, ut aegri decoctiones chamaedrios, centaureae minoris, & Florum chamomaeli, hasque per plures etiam dies susciperent. Attamen neque hac methodo potui tam malignam harum febrium indolem expugnare. Cogitavi tandem, remedium hoc esse ejusmodi, quo naturae diu oppressae, & attritae quoties libuerit subvenire, & fatalem, ut cum Ricardo Mortone loquar, harum febrium exitum praecavere possimus, corticisque peruviani usum per quadraginta dies meis aegrotis, minime interea temporis fructuum esui indulgendo, imperavi. Verum ne his quidem armis vim harum febrium intus delitescentem velut eruere potui atque opprimere, quin etiam cum se se in pristinam sanitatem restitutos judicarent infirmi, ecce tibi febris incursus novus. At post varios casus invehimur feliciter portum, methodumque facilem, & ut

& ut mihi videtur, tutam dies *en attulit ultro*, in febribus igitur, quae facile recrudefcunt, cuius generis, ut plurimum funt continuae continentes, tritaeophęae, tifodes, uti etiam nonnullae intermiffionis participes, quarum, ut inquit Hippocrates, *enormes funt acceffiones*, fcilicet, ut explicat Duretus pagin. 79., *quae typo regulari carent*, *idque autumno*, *degenerant in quaternas*; quas faepe vigiliae, fitis, ventriculi, aut capitis dolores, naufea, inquietudines, & internus calor comitantur, duplices ut plurimum ignes, alterum in primis viis, in fanguine alterum habentes; Medici primum, ut fuae exiftimationi profpiciant, aegrotantibus praedicere debent, illius generis has febres effe, quae facile, vel ex fui natura, vel ex quacunque levi occafione ingravefcentes, cum femel coeperint, iterum atque iterum ad plures menfes pergunt, qui ita fe gerit, obfequentiores medicis nutibus reddit aegrotantes, & fi forte fortuna in novas incidant febres, omnem fiduciam in Medico ponunt, non amplius de alio quaerendo cogitantes. Illis deinde Medicus fpondere debet, fe operam effe, ne tales recidivae fiant, daturum, dummodo velint remedia, quae funt ab ipfo praefcribenda, libenter fumere. In hisce igitur febribus, prout faepius obfervavi ad aliquam in folidis, & fluidis laxitatem inducendam primum venae fectio, praemiffo clyftere, facienda eft, indeque fanguis attente examinandus: nam fi ex falvatella frigefacta coaguletur; vel fi ex brachio, rubicundam habeat cruftam, repetenda venae fectio etiam ex pede, eft & uberius fanguis mittendus, inde Blanda ad alvum fubducendam, ex tartar. ex caffia, cum lignis confractis, ex epith. cum additione, aut fyrup. Rofa, aut de cichore, cum rhab. potio exhibenda, hinc obfervandum eft, cum proficifcantur hae febres a putrida humorum cachochilia in primis viis, mefenteriique

glandulis coacervata, quod intelligitur ex dorſi dolore, ut notat Duretus in illo Hippocratico dicto in Coac. praenotionibus, *quae ex dolore dorſi principia morborum ducuntur, difficilia ſunt*, obſervandum, inquam, non (ut notat etiam Baglivius) ad emulſiones, aliasque ſimiles potiones, ſed potius ad decoctiones herbarum, malvarum ſcilicet, boraginis, cichorei intubi, vulgo *endiviae*, & agrimoniae, eſſe confugiendum. Quibus etiam iungi poſſunt Aq. Graminis copioſe exhibita, & Tartarus ſolubilis aut vitriolatus cum Abſinthii ſale, poſt vero repetitionem lenientium ſuperius memoratorum alia facienda eſt obſervatio, & quidem utiliſſima, nam cum in hisce febribus, ut plurimum, urina ſit pauca, & cum ſedimine lateritio, inſervire videntur diuretica medicamenta, cum morbi, ut notat Zacutus Luſitanus, qui ex urina cognoſcuntur, per diuretica eliminentur, at per diuretica urina potius diminuitur quam augetur, ex quo, credo, objectam Baglivio illam eſſe dubitationem, unde affirmet, ſe diureticis quidem credere, at minus quam caeteros medicos omnes. Cum enim hisce in febribus Chyli viae, & meſenterii glandulae infarctae ſint, per diuretica medicamenta veluti comprimuntur vaſa, & magis magisque humoribus putridis inficiuntur; quod non ita contingit, ſi pro diureticis, medicamenta adhibeamus, quae epicratice in Alvum coactos humores eliciunt. Nam his opibus paulatim urina copioſior redditur, & ſedimine minore obſita, haec vero remedia ſunt Gumm. Ammon. Rhabarb. elect. & tartar. vitriolat ad ʒ ſ. vel ad ℈ i. cum aliquo liquid. in formam Boli parata, & cum juſculis herbarum ſuperius deſcriptarum alteratis exhibita, quibus ad plures dies inſiſtere Lectores meos rogo, cum eventus felices & in me ipſo, & in aegrotis meis pluries aſpexerim. Quibus remediis fugata febri ſtudendum eſt, ne iterum

rum chylus in ſtomacho corrumpatur, novaeque febri pabulum praebeat, quod fit uſu maxime teſtaceorum, & praecipue oculorum Cancrorum praeparatorum ad ℨ. ſ. ſingulis diebus mane apprime ad acorem ſtomachi, inſtaurationemque morbi removendam utilium. Quod ſi haec remedia deludat morbus, viresque ſuas reſumens iterum laborantem invadat aut etiam ex toto non evellatur, tunc exhibenda ſunt ℥ i. corticis peruviani, & ℈ i. rhabarbari electi in copioſa foliorum boraginis, cichorei, & fumariae decoctione, diebus intermediis in ea decoctione exhibendo ſtip. diaphor. ſal. Abſinth. & ocul. Canc. a ℈. ſ. per dies quadraginta; cum febrilia fermenta intra fere hoc ſpatium ingraveſcentia ſoleant exterminari, ad iteratos iſtos morborum caſus impediendos pluries etiam expertus ſum, praecipue tamen in lienoſis, pulverem hermodactilatum ad ℥ ii. viscidum enim pituiteſum, & melancholicum in infarctis viſceribus redundantem ex longinquis partibus educit, & per ſeceſſum eliminat. Animadvertendum, febres autumnales non omnes tertianas eſſe, ſed ut plurimum etiam quotidianas, quae facile dignoſcuntur ex repetitione periodorum, quae ſingulis diebus eadem hora recurſant, & noctu aegri valde jactantur; in quo caſu mihi Kinae Kinarum uſus ſuſpectus eſt.

Febris haec cum ſoleat ad quadraginta dies extendi, nulla alia ratione breviorem reddere illam potui, quam veſicantium, ut vulgo dictitant, uſu, quae tenacem, rebellemque materiem ſegregant, diſtrahuntque, ut mihi in Lucina Brixiana, & nobili Matrona Roccata praeterito anno uſuvenit. Mutant etiam Ideam fere ſemper erraticae febres, quae tandem aliquando in quartanas degenerant, ut ſaepe praedicere mihi contigit aegrotis meis ex nigris nubeculis in urinis exiſtentibus, dicebat enimHippocra-

tes in Prorretico, *quae in erraticis febribus sunt nigrae nubeculae quartanas denunciant.* Nam cum erraticae febres, ut docet Mercurialis, in diversis partibus fomitem habeant; modo a bile, modo a pituita, modo a sanguine faeculento originem suam trahentes, lata, & transmissa materia a diversis locis diversos quoque insultus parit; cumque in his tardius consumatur humor melancholicus, is aliis consumptis, solus relictus, & sane copiosus quartanam producit. Contra has febres quartanas nullum magis herculeum inveni praesidium, quam pulverem hermodactilatum, eiusque post usum, minime cedente febri, decoctionem exhibere Florum Chamocentaureae minor, cum uncia cortic. peruviani, & ℈ iiii. salis armoniaci addit. lib. 1. vini albi generosi ad ℥ viii. vesperi, & mane per dies quadraginta. Ad hoc album reducuntur etiam ardentes, & acutae febres, quae non recte curatae, ut inquit Galenus, in phthysicas mutantur. Haec enim febris ardens, & acuta, καύσων πυρετός dicta, repetita, & generosa sanguinis missione, & copioso aquae frigidae potu curari debet, quod nisi opportune a medico fiat, ideam mutat, & ex breviori in longiorem transmutatur, dissolutis enim, & accensis continuo, & mordaci calore solidis partibus phthysica suboritur febris. Laborabat ardenti febri tribus ab hinc annis adolescentula quaedam in Divi Francisci Vico, de qua jam omnino Medicus desperabat, eamque ego reperi oculis concavis, naribus acutis, collapsis temporibus, lingua arida & hiulca, voce etiam exili admodum, supinam, fere veterno torpentem, cibumque omnem recusantem: ei tamen pulsus non ita submissus erat, ut tota spes praecisa videretur, adstantibus jubeo aquam frigidam agrae dare, & altera die nactus paululum expergefactam, iterum aquam, & quidem copiosius exhibeo. Inde coepit

ado-

adolefcentula lentes poftulare, neque me invito apponuntur. Poft tamen nonnullos dies intolerabili dolore in inguine dextro vexatur: fectionem faphenae impero, dolor cedit, febris minuitur, & intra quindecim dies convaluit, ex qua obfervatione patere clariffime poteft, fi quando ob medicorum imperitiam, ea defuerint aegrotantibus auxilia, quae morbi natura poftulaverat, etiam progreffu temporis effe adminiftranda, adftantibus tamen praedicendo, non poffe fine illis fe fe ęgros in priftinam fanitatem reftituere. Narrat Foreftus obf. IV. pag. 140. de juvene triginta duorum annorum macilento, atque biliofo, qui per aeftatem, adhuc faeviente canicula, febri continua correptus, cum principio apta remedia non adhiberet, atque empiricorum opera tantum uteretur, poftea in phthificam febrim incidit; variisque tentatis remediis, cum tuffis infuper augeretur, calida eclegmata empirici eidem praefcripferunt, unde febris femper acuta; tum putantibus illis pectus frigidis obftructum effe, neque victus rationem obfervantique, ad tabem denique perventum. Caeterum id fi ex voto non evenerit, dilationem, non remedia effe culpanda. Tertiana febris aliquando degenerat in femitertianam, ut vocant, ob vitiatam fanguinis craffim, vitio in eam a primario tertianae febris igni introducto, ut de juvene quodam narrat Foreftus obf. 16. pag. 174. cui poft exhibitionem fyrupi de Betonica dolor capitis ceffavit, in quem frequenter incurrebat. At poft aliquos dies incidit in febrim tertianam, quae poftea in femitertianam, periculofam transmutata eft. Ex obfervatione Dodonei in phthificam etiam, & hydropem degenerant febres femitertianae, unde caute diligenterque tales febres curandae funt, ne infanabiles poftea, ideam mutando, fiant.

In intermittentem praeterea, continentem, aut malignam, & quandoque in phthiſicam ephemera, ut dicitur, febris converti poteſt, ut ſynocha, quae vocatur fermentativa in putridam, putrida in malignam, intermittens in continuam, tertiana ſimplex in duplicem, duplex in ſemitertianam, in lypiriam, ardens in Epialam, & lypiriam, quotidiana in phtiſicam, maligna in intermittentem transmutantur, quae omnia cum nota ſint etiam iis, qui primoribus tantum labris medicinam deguſtarunt, nihil attinet de ſingulis verba facere. Non ſolum vero mutant ideam febres illae, quae ex brevioribus longiores evadunt, verum etiam quae contra. Hujusmodi cenſendae febres lentae, quotidianae, quae vel coorta curantur bile iraſcentibus aegris, quia magis agitantur humores, diſſolvunturque, unde docebat Hippocrates, *diligentiam adhibendam eſſe, ut excandeſcentia inducatur:* vel etiam veſicantium, ut ajunt, uti pluries egomet ſum expertus. Quartana quoque aliquando in acutum degenerat morbum, aliaeque nonnullae febres hyeme facile migrant in alias. Quocirca hippocrates lib. VI. epidem, *quaecunque vero aliae febres hyeme fiunt, ſive ex vino, ſive ex laſſitudine, ſive ex alia aliqua re, eas obſervare oportet; tranſeunt enim aliquando in morbos acutos*, quo in caſu ob febrim vehementiorem melancholici craſſi, & viſcidi humores commoventur magis, citiusque diſſipantur. Febres pariter omnes, in quibus ſunt fluxiones, rheumata, frigidarum partium dolores, & ſimiles ex lymphae, pituitaeque copia, & hujusmodi frigidis, tenacibusque humoribus originem ſuam trahentes contrahi facile poſſunt, ſi aut ira, aut remediorum vi vehementius indendantur. Quippe cum facilius noxius humor pertinax, & rebellis a magna, quam a parva febri disiiciatur, atque vincatur; febres hujusmodi aut medicamentorum vi magis com-

commorae facilius dissolvuntur. Neque solum febres mutant ideam, verum etiam mutant tempus; cum saepenumero observaverim febres autumni tempore sanatas verno adhuc ingravescere; idque praecipue accidit, cum sicca hyems, & frigida autumnum excipit, cum enim superveniente frigore, cutis meatus constringantur, claudanturque, morbida febrilis materies omnino obstructa spiratione vinci nequit, quae tamen intra vasa sanguinaria delitescit: attamen febrilem calorem ea minime excitare valet, quia solida ob maiorem, ut nuncupant, elasticitatem, qua in sicco, frigidoque aere sunt praedita, ad repellendum ex capillaribus arteriis, quidquid heterogeneum in ipsis insedit, sufficiunt. Cum autem veris tempore ob ingruentem humoris vim, & aeris inaequalitatem, vim elasticam haud perinde vegetam fibrae obtineant, febrilis materiae reliquiae capillaribus inclusae arteriis ob contractam debilitatem a solidis vinci nequeunt, unde necessario, ut ita dicam, febris denuo ingravescit, & autumnales vere repullulant.

CAPUT IV.

De febri in alios se se mutante morbos.

Febris non solum ex aliis provenit morbis, neque solummodo ideam vertendo in aliam deflectit febrim, verum etiam in alios alterius generis morbos quam saepissime transit. Morbi in quos transmigrat febris aliquando cum ;pepasmo fiunt, & pro crisi inserviunt; tum praecedentem malam sanguinis diathesim corrigunt. Aliquando pessimi habentur, & praecedentia sanguinis vitia magis, magisque acuunt, redduntque insanabilia. Morbi vero, quos transit febris,

 sunt

ſunt convulſio, Hydrops, ſcorbutica, ut vocatur, affectio, pleuritis, tumor pubis, fluxis dyſentericus, hepaticus, menſtruorum, & ſimiles alii morbi, quos vel lethales eſſe, vel ſaltem periculi plenos omnes vident; uti etiam viſcerum obſtructio, abſceſſus in partibus internis, in externis tumores; ptyaliſmus, tuſſes, ſtupiditas, catoche, & alii quam plurimi de quibus omnibus cum alii boni, alii mali ſint, ſingillatim pauca ſcribere aggredior, ut eorumdem natura funditus noſcatur. Et quidem convulſio, quae febribus ſuccedit, aliquando a repletione, aliquando ab evacuatione pendet, ut vult Hippocrates: Quandoque etiam a vi frigida, nempe a vi frigida, nempe a humoribus lentis, viſcidis, & glutinoſis; quandoque ab affectiione calida, nempe ab affectione calida, nempe a bilioſis, acribus, ſalſisque particulis proficiſcitur. In hoc autem morborum genere ſunt tetanus, aphonia, anaudia, paralyſis, apoplexia, & ſimiles morbi, quorum cauſſa penitus a Medico noſcenda eſt, ut eos valeat ſtrenue profligare, ſi enim a viſcidia, tenacique materia hi morbi pendeant, tunc veſicantia, caſtoreum, Viſcum quercinum, Salſa parilla, pilulae de Succino Cratonis, unctioneſque calidae ſpinali medullae, de oleo caſtoreei ſcilicet, Vulpin, & Ruta ce, pulchrae ad rem faciunt, ſi vero ab acri, calida, bilioſa, ſalſaque materia originem ſuam trahant, tunc cane peius, & angue ab his remediis cavendum eſt, & ſanguinis miſſio, lactis ſerum: decoctiones Primulae veris, aliarumque herbarum, teſtacea medicamenta, Aqua Nucerina, emulſiones ſeminum violarum, papaver, albi, pęon, quatuor, frigidorum maiorum, frigidorum minorum, inunctiones pariter ſpinali medullae, olei viperini, lumbricor, terreſtrium & pinguedinis humanae adhibenda, abſtinendo a caſtorei compoſitionibus, quae ex Galeno lib. de ſimplicibus

cibus medicamentis, *ſubtilium ſunt partium, & penetrant nerveacea; ubi vero ex ſiccitate nimia obvenerit convulſio, ſcito cuſtoreum illic eſſe adverſiſſimum.* Hac methodo, repettita nempe ſanguinis miſſione, decoct. herbar., ſeri caprini uſu, Gelatin. C. C. pulveribus ex cranio, ut vocant, humano, & oculis cancrorum confectis feliciter curavi Clariſſimam Civem Antiſtiam Pecudariam, quae ex febri maligna concluſa ad *Tetanum* gradum fecerat. Hydrops, qui febribus ſuccedit diſtinctione indiget, nam aliquando eſt verus et ſolum apparens aliquando. Verus hydrops fere inſanabilis cenſetur, cum a diſſoluta ſanguinis craſi, vel a viſcerum laeſione oriatur: is contingit in febribus longis, vel male curatis in picrocholis, in cachecticis, & in illis, qui craſſo ſub aere nati, humidis in locis degunt. Narrat Foreſtus lib. 1. obſer. XXXIV. pag. 121. de Isbrando Delphenſi annorum viginti quinque, cui, cum quartana intermittente legitima aliquamdiu autumno laboraſſet, & ab ea expediri non poſſet, ſuaſit Medicus, ut pulverem calidiſſimum ex pipere, cardamomo, ſinapi, & ſimilibus cum aqua vitae, ut ajunt, in ipſa acceſſione ſumeret; evaſit ille quidem ſtatim, ſed mox corpus intumeſcere coepit, inque hydropem incidit, quo explicari numquam potuit. Siqua remedia hiſce in caſibus proſunt, ſunt chalype temperata; hydrops vero apparens pro criſi ſaepenumero habetur, & tunc accidit, cum per evacuationes ſenſibiles depravati humores non omnino eliminantur, ſed reſidua eorum pars vel inter lienis cellulas, vel inter musculorum abdominis interſtitia, vel inter univerſam cutem per criſim quandam inperfectam ſubſidet, illique inhaeret. Inter caeteros, quos ita affectos vidi, hiſtoria dignus eſt Donatus quidam Libratorum Praefectus, qui quatuor ab hinc annis poſt diuturnam autumnalem febrem, neque ſudore, neque urina, neque alia ſenſibili evacuatione

 un-

unquam perfecte judicatam, tumorem totius corporis, Leucophlegmatiam dictum, nactus est talem atque tantum, ut insanabilis vulgo videretur. Verumtamen sola optima victus institutione, abstinentia ab humidis, diureticis, frictione cum panno lini rudiore facta, & calidarum stupparum cannabis appositione repetita intra duos fere Menses sanitati est restitutus. Vidi etiam, puerum Nobilem, qui apud Divi Petri Archipresbyterum educabatur, cui post febrem continuam continentem autumnalem, haud mediocriter abdomen, facies, scrotumque cum intumuisset hoc ille morbo sola exercitatione, & labore est exolutus. Hoc etiam anno, quo scribo, alterum puerum habui Viviani Zojae, quem post trimestrem febrim continuam tumor adortus est maximus manuum, & abdominis; ac tum febris quidem visa nonnihil diminui, postea sola exercitatione una cum tumore evanuit. Etiam illustris Civis Joannis Pellizari filium ex febri continua tantus circa ventriculi regionem tumor incessit, ut ventriculus ipse inflatus praeter naturae leges, ac normam appareret; at cum inter musculorum interstitia tumor esset, solo fotu calido Florum chamo, melil. sambuc. & faeni graeci, atque cerat. de Ammo. appositione excessit.

Desinunt etiam febres in pubis tumores cum urinae prohibitione, ut non semel in aegrotis meis vidisse memini, quibus neque humidus fotus, neque unctiones, neque clysteres, neque alia praesidia succurrere potuerunt; ut proinde inter insanabiles morbos hunc tumorem propemodum referre oporteat. Huc spectat illud Hippocratis in Prorretico. *Vesicae durae, quas dolor praegrandis occupat, graves omnino sunt, atque pestiferae.* Fortasse enim a convulsione musculi sphincteris hi vesicae urinariae tumores ortum ducunt. Quid quod febres exeunt, preçcipue longe

autum-

autumnales, *Acrisiam* in schirrhos internarum partium, praecipueque mesenterii. Passus nobilis Civis ad Divum Petrum ex febri longa dirum id morbi genus in mesenterio; quo postea, veluti tabe confectus periit. Accedere his illud potest, quod desinunt etiam Quartanae febres quandoque in collicam ventriculi passionem, ut nuper mihi contigit in Virgine Deo dicata intueri; cui post longam quartanam, toto autumno, & hyeme toleratam verno tempore dolores ingentes ventriculi supervenere, a quibus venae sectione, ut & a quartana liberata est.

Desinunt adhuc febres, praecipue acutae, graves, & longae in tumores pedum aedematosos, qui tamen boni sunt, cum indicent ad partes longinquas materiem morbosam esse recessuram.

Nec tacendae febres, quae in externarum partium abscessus erumpunt quo in genere sunt illae febres, quae a crudis, crassisque humoribus pendent, & in quibus summam imbecillitatem sentiunt aegri. Accedere his illud potest. *Quando morbus ex calidis humoribus concitatur, & vires constant, tunc speratur crisis per excretionem, quando humores sunt crudi, crassi, & virtus languet, tunc vel paulatim morbus finitur, vel per abscessum*, ait Galenus. Hi porro abscessus melius per suppurationem, quam per dissolutionem sanantur. Quoniam melius per suppurationem reliquae febrilis materiae a praecedenti morbo relictae segregantur.

Inter tumores vero maxima dignos animadversione debent erysipelata, aut simplicia, aut cum phlegmone suppuratoria recenseri. Quae cum frequentissime febribus malignis successerint anno praeterito millesimo septingentesimo trigesimo quinto, contagionis ritu, pervagatis, ea de re fert animus pauca, & quidem non inutilia obiter hic mandare litteris. Saeviente undique Marte, jam

jam ferro, flammaque ab Gallis - Sardis Insubria depopulata, accedente magno ad Mantuanam rugionem exercitu, ecce undique gentas timore perculsae intra moenia Liniaci ad se se recipiendum confugiunt, hinc etiam aggregati plurimi a Republica Milites ad loci tutelam intra Fortilitatem reponuntur, unde veluti nova civitas brevi temporis spatio visus est locus, iam domibus, locisque omnibus ab imo usque ad ultimum tectum aut a militibus, aut ab exteris familiis repletis. Hinc ex gentium multitudine coepit urbs nostra pluribus sordibus, & sterquiliniis foedari, unde in quibusdam locis foetor tantus oriebatur, ut accessus ipse impediretur, ex istis pessimis exhalationibus in quibusdam pauperculis, praecipue humidis in locis degentibus, febris quaedam putrida castrensis maligna vagari coepit, quae primis quidem diebus cum frigore periodico modo invadens benigna videbatur, veluti tristis illa Scylla, quae speciosae virginis vultum referebat, at circa uterum mostra latrantia succingebantur, cum statim continua evadens delirio, motibus convulsivis, affectibus soporosis, virium fractione, maculis peticularibus, veluti tot monstris comitabatur: primo morbi tam ferini ingressu alii intereunt, alii vero post tempora longa difficiles caussas, & sero

potuere altas superare tenebras.

Inter illos, quos in ipso sui ortus principio haec ferina labes aggressa fuit, Medicus decessor meus vir omni laude dignus repertus est, qui primum a febri periodica torquebatur, inde a continua, quae statim malignissima facta omnes ejusdem vires cum lassitudine ulcerosa confregit, & quod mihi magis dolendum est, profundo lethargo de medio sustulit. Hinc fere omnes civitatis nostrae aegri me accersiri jubent, ex quo factum est, ut supra quinquaginta intra paucos dies habuerim aegros invisendos, quorum major pars ma-

maligna febri laborabat, interpride tamen tam magnum, & quidem formidandum onus suscipio, omnesque vires, animumque intendo ad tantam pestem profligandam, primum mecum ipse cogito, quod etiam Hippocrates dicere solebat, scilicet communem morbum habere communem caussam, caussam vero communem aliam esse non posse, quam aerem, aer enim, quo respiramus, quoque circumdamur, & vivimus, communis omnibus est, & eorum omnium, quae in corpore contingunt, est auctor, & dominus. Fluxibus & refluxibus continuo, ut notat Boylaeus experimento decimo octavo, agitatur aer, & magnas, repentinasque secundum suam densitatem patitur mutationes. Hae vero aeris mutationes a putridis effluviis, & pessimis exhalationibus quandoque etiam dependent, unde morbi oriuntur fere innumerabiles, inde legitur in Deuteron. ad pessimas exhalationes impediendas, militibus ita imperatum esse, *habebis locum extra castra ad requisita naturae, & habebis paxillum cum armis tuis, cumque sederis per circuitum, ea egesta operies, quo relevatus es; Deus enim ambulat in medio Castrorum*, inde adjuvante etiam Rectoris Balbi vigilantia primum omnes Militum domos, omnesque locos, ex quibus suscipio erat, pessima effluvia aerem coiquinantia emanare, detergere, pulire, & sordibus liberari jubeo, eumque pro fumigiis, aliisque bene olentibus rebus puriorem, quantum ex nobis fieri potest, reddere curo, quo facto statim in tanti, & tam pestiferi morbi curatione totus sum, & primum cum jam observaverim extremum obiisse diem omnes fere illos, qui absque sanguinis missione curabantur, ad phlebotomiam tamquam ad sacram ancoram confugio, interim genium, moremque pestiferi morbi funditus observo, brevique temporis spatio talem febrem duplicis generis esse clare dedu-

deduco, aliam nempe putridam verminoſam, aliam vero putridam inflammatoriam, duplicique methodo in earum curatione incedendum, prima ut plurimum in pauperibus obſervabatur, & in iis omnibus, qui pravo cibo, & ſuccis impuris, praeſertim piſcibus aquarum non ſe moventium utuntur. Altera vero in iis, qui bono cibo, optimoque pane, & carne veſcuntur, qui pariter bono ſucco nutriti, aut aetate floridi aut ſanguinea praediti erant natura, lente prima periodico modo miſeros mortales invadebat, ſtatim continua facta dolore capitis, nauſea, jactatione, vigilia, pulſuque aſpero, & parvo, celerique eosdem torquebat; poſtea in ſoporoſos affectus tranſibat, cui accedebant urinae ab hipoſtaſi divulſae, lingua pallida, & ut plurimum absque ſiti ſenſibili; aderant etiam ſaepe peticulae puncticulares in rubeum, ac violaceum colorem conſiſtentes, circa ſeptimum, aut circa nonum, ſeceſſus fiebant copioſi, & lumbrici teretes egrediebantur cum maleolentibus faecibus, circa decimam quartam, aut vigeſimam ſurdi evadebant, aliis vero tuſſes cum ſputo copioſo, aliis etiam parotides ad aures inſurgebant, at quibus inſurgebant tuſſes cum ſputo copioſo, numquam viſae ſunt parotides, ita ut inde deduci poſſet, tuſſes in fine febrium aliquando criticas eſſe, & parotidum vices ſupplere, tam uno, quam altero morborum genere laborantibus ventris ſolutio pro maximo praeſidio erat, ut notavit etiam Hippocrates in Calzomenio. Experientia, & ratione edoctus hac methodo hiſce febribus laborantes in priſtinam ſanitatem reſtituere conabar. Primum emeticum ut plurimum exhibebam, aut purgans aliquod medicamentum, deinde cucurbilitas dorſo apponebam cum ſanguinis detractione, poſtea inunctiones dorſo ex unctione Aaetii, & Aq. Reginae Ungaricae praeſcribebam, & veſicatoria brachiis, &

coxis

coxis apponebam: Alexipharmaca etiam cum pulvere Bezoartico Ponae jubebam, necnon etiam Theriacam cum croco, & vino malvatico diſſolutam cordi apponebam, potus erat Aq. hordaacea cum C. C. aut cum radice ſcorzonerae parata cum ſpiritus vitrioli ad guttas aliquot additione, tandem poſt undecimum exhibebam Diſagridium cum mercurio dulci aliquibus olei Mattioli guttulis junctum in formam boli cum electuarii dioſcordii Fracaſtorii redactum, quod remedii genus bis, terque magno cum aegrotantium fructu repetebam in hisce febribus a putrida, malignaque chachochilia pendentibus. Quis vero genius, quisque mos fuerit inflammatoriae febris, operoſum nimium eſſet enarrare, pulſus aderat frequens, elatus, & aliquando etiam dicrotus: aliquibus aderat durus, humilis, frequens, & parvus: aliquibus aderat ſitis, aliquibus minime; deglutiendi autem difficultas, & dolor faucium pene omnibus inerat; lingua arida, & hiulca aliquando aderat, aliquando etiam humida: vigiliae nocturnae, membrorum jactatio, litigationes, motus convulſivi, urinae ſubjugales, punticulares maculae rubae fere omnes hujusce generis febres comitabantur, ut plurimum ſine ſignis criticis Morbus hic finiebat, ſed cum ex Galeno, quae *ſine ſignis finiuntur malignius retrocedunt*, ita poſt paucos dies redibat, & aliquando etiam vehementius, quo cum vires aegrorum eſſent diu attritae, non criticis evacuationibus debilitata virtute ſolvebantur febres, ſed in abſceſſus deſinebant, qui ut plurimum erant Eryſipelata, aut phlegmones Eryſipelatoſi. Intimius inſpecta ſanguinis diatheſi, inflammatoria nempe, & ad coagulum vergente, venae ſectione ex bracchio, & inde ex pede appoſito prius clyſtere intrepide curationem aggrediebar, deinde ut a centro ad circumferentiam venenatum febrilis materiae fomitem educerem, cucurbitulas

tulas dorſo apponebam, cum hoc in caſu ſemper cucurbitulae poſt venae ſectionem, non autem ante, ut vulgares medici facere ſolent, ſint apponendae, venae enim ſectio univerſalis evacuatio eſt, cucurbitularum appoſitio particularis. Accedit, quod fluida ſemper moveantur ſecundum ultimam impreſſionem, cum autem ultima fluidorum impreſſio ſit a centro ad circumferentiam per cucurbitulas excitata, ſequitur, quod fluida illam facilius ſequantur, medicusque intentionem ſuam magis obtineat, poſt vero cucurbitulas inunctiones dorſo oleo Aaetio & Aq. Regin. ungaricae bis in die faciendas impetrabam, cumque vere meo animo ſemper inhaereat illud Baglivii dictum aphoriſticae Sanctorianae doctrinae additum, nempe, *Ex ſtaticis Sanctorianis experimentis vomitus ſummopere impedit ſpirationem, quia retrahit ad interiora ſpirabile: ſi facit id potens oſcillatio fibrarum ſtomatichartum per vomitum, evacuando foris materiem, quanto magis idem efficiet oſcillatio vehemens, vel inflammatoria, vel dolorifica aliorum viſcerum cum febre, vel ſine ea, ad quas oſcillationes non ſuccedunt evacuationes materici, ut in vomitu? imo a corporis habitu retractis ad interiora liquidis, & ad oſcillantem locum vim facientibus concreſcunt ibidem, ardent, aeſtuant, atquae ad tumores, ſcirrhos, inflammationesque diſponunt aegrotantem. Ars tamen ab affectis in oſcillatione locis, evacuando poteſt divertere materiem per veſicantia, cauteria, ſinapiſmos, ſcarificationes, & ſtimulos omnis generis; quae quidem non ſunt Galeniſtarum figmenta, aut ſomnia, ut Helmontiſtae arbitrantur, ſed naturae docentis, ac praemonentis oracula, & voces.* Veſicatoria & cruribus, & brachiis ad internos decubitus impediendos, materiaequae morbificae ad cerebrum appulſum intercipiendum, motusque ipſos convulſivos,

ſopo-

ſoporoſosque affectus compeſcendos, apponebam. Aquam vero Graminis cum C. C. paratam, aut hordeaceam copioſe ſumendam imperabam, nec non etiam Gelatinam C. C. cum radic. ſcorzonerae paratam quatuor ſingulis diebus vicibus praeſcribebam, ſerum deſtillatum, emulſiones frequentes, nitrata, cinabarina, ſuccinata, hipnotica, unctiones etiam ſpinali medullae ex oleo lumbricorum terreſtrium, & pinguedinis humanae paratae apto tempore pro remediis mihi uſui erant, clyſteres autem, aut in debilibus ſuppoſitoria alternis etiam diebus, pro ut neceſſitas egerendi alvum poſtulabat, adhibebam; poſtque decimam tertiam diem ſequens leniens cum fructu exhibebam. ♃. Decoct. pulpae Tamarindorum ℥ iiii. pulveris Cornachin. ℈ ii. ſymp. Roſar. ſolut. ℥ ii. Flor. Nitri Mynſich. ℈ i. hocque bis, terque poſt quatuor, aut quinque dies repetebam. Quidni etiam in affectibus ſoporoſis ſacculos cum betonica capiti, & Errhinna medicamenta naribus apponebam, quae erant ex decoctione Nicozianae, Betonicae, Majoranae, ſerpilli parata. Quod ſi vero medio harum febrium curſu, aut etiam aliis temporibus peticulae rubeae apparebant cum maxima corporis jactatione, & vigiliis, ſanguinem etiam ex ſalvatella moderata quantitate imperabam, febremque pro certo jam experientia edoctus aegris brevi ceſſuram eſſe praedicebam, quod veriſſimum a me obſervatum fuit, in eamque deveni opinionem a Mercato edoctus in ſuo libro de indicationibus ſumendis pag. 256. inquit enim ille, *experientia compertum habeo, ſciſſionem ſalvatellae, praemiſſa copioſioris ſanguinis detractione, maximi eſſe momenti in malignis febribus, & in his, quibus maculae illae vulgares apparent,* quibus vero maculae non apparebant, febres longiores erant, acutae fiebant ex decidentia, & poſt vigeſimum, aut trigeſimum diem ob debilita-

tam virtutem non per criticas ſenſibiles evacuationes deſinebant, ſed in Eryſipelata, aut tumores eryſipelatoſos transmutabantur, qui ſanati bis, terque ingraveſcebant, iterumque ſuppurabantur. Unicam hic referam hiſtoriam, ut horum tumorum natura penitus intelligatur. Dominus Ioannes Sordina vir prudens, & Sacerdos pietate, & religione praeditus, circa primum, & trigeſimum aetatis ſuae annum, temperamenti melancholici, habitus gracilis, & debilis, calvi capitis, ſtudiisque deditus, & fere picrocholos, cum diu, noctuque periclitantibus adeſſet, ipſe quoque eodem morbo corripitur, arceſſitus ego invenio laborantem acuta febri, capitis dolore, cum carnibus fere frigidis, & pulſu humili, frequenti, & debili, urinisque rubeis, ſtatim ſanguinem ad uncias ſex ex manus dexterae ſalvatella, & poſtea cucurbitulas impero, noctu erat vigil, jactabundus, pulſus ſemper parvus, & frequens, corporis circumferentia ad tactum fere frigida, lingua humida, & absque ſiti, ſeptima fit garrulus, animumque ad inſueta appellat, brachiis, & coxis veſicatoria apponere jubeo ex quibus per plures dies materia viſcida, glutinoſa magna in copia emanabat, interim cum jectigationes in pulſibus, & manibus obſervaſſem, emulſiones, cinabarina, ſuccinata, & alexipharmaca medicamenta cum pulvere Bezoartic. Ponae ſingulis diebus praeſcribo, jectigationes, delirium, pulſus ſemper eodem modo humilis & frequens, vigiliae, appetitus proſtratus, faeces tenues, bilioſae, vires ita perfractae, ut ne manum quidem per ſe absque alterius auxilio movere poſſet, aliaque ſaeviſſima ſymptomata totum morbi curſum comitabantur. Gelat. etiam C. C. aq. ſcorz. & ſcabioſ. extract. quater in die generoſe exhibetur, circa decimam excitatur ſitis, ſpes etiam in nobis tunc coepit excitari, occulta enim malignitas fit manifeſta, in copioſa aquae potio-

tione, aliisque fupramemoratis medicamentis interpride insisto: poft vigefimam a febri, fed fine critica evacuatione liber evafit, attamen vigefima octava iterum febri Sacerdos arripitur, poftridie dolor ingens cum rubeo colore in genu finiftro fuboritur, qui poftea ex genu ad Tibiam, & ex tibia ad talum defcendit, quo in loco permanet obftinate, pars intumefcit, rubefcit, exacerbatur, cruciaturque dolore acerrimo, ac tandem fuppuratur, methodo chirurgica curatur, at fanatus denuo ingravefcit tumor, iterumque ex alia parte exulceratur hinc finus, hinc febris, hinc ulcus profundum, & fumma difficultate fanandum, interim gingivae a fcorbutica, & hypochondriaca affectione intumefcunt, fumit fingulis diebus decoctum falfae parillae, vini quercini, C. C. cum carne vitulina, & antifcorbuticis herbis fecundum artem compofitum, tandem poft multos dies deducto ad cicatricem ulcere liberum invenio a febri, poft paucos dies ecce nova febri, novoque dolore aggreffus, novus tumor excitatur, qui poft paucos dies denuo fuppuratur, ad lac caprinum Aprilis menfe ad carnes reparandas confugio, idque tepide ad uncias feptem fingulo mane fumendas jubeo, attamen neque hoc praefidio fanare potui patientem; poft enim novam fanationem denuo intumefcit pes, iterumque tumor ingravefcens vergit in fuppurationem, tunc fonticulum coxae affectae partis inuri jubeo, ut nimirum recrementis vitiofis tamquam ex cloaca derivatis non amplius ad extremum pedem nova illa tamque rebellis fluxio excitetur, quod etiam ex voto fucceffit, fanatur enim ulcus, non amplius de dolore conqueritur, e lecto furgit, & circa menfis Maji finem ad celebrandam Sacram Miffam in templum confertur; uti in pofterum femper fecit, fed e diverticulo in viam.

In affectus Hypochondriacos sępiſſime etiam febres tranſeunt praecipue autumnales, & longae, quorum ignis aliquando in praefervida viſcerum intemperie conſiſtit, & tunc ſerum lactis, aqua Nucerina, optima remedia ſunt; aliquando vero in lienis, meſenterii, & aliarum viſcerum infarctione & in hoc caſu cichoracea, tartarea, chalybeata, atque inter alia praeſidia equitatio optima ſunt, ut doctiſſimus Sydenam, & etiam Scheyne Medicus Regiae Societatis Londinenſis celeberrimus obſervarunt.

Quandoque febres ſanguinem, ſuccumque nerveum conquinantes, ſalium, & ſulphurum exaltatione diſcraſiam ſcorbuticam inducunt, ex qua affectiones ſpasmodicae, cordis oppreſſio, muſculorum ſubſultus, reſpirationis conſtrictio, venarum pulſatio, & alia hujusmodi ſymptomata excitantur, quae antiſcorbuticis, antiſpasmodicis, & aſinino lacte facillime curantur.

Deſinit febris non raro in pleuritidem, vitioſa nempe febrili materia inter pleuram, aut inter musculorum Thoracis interſtitia transducta. Quod in nobili quodam Patavino, Guerra dicto, his pręteritis diebus vidi, qui poſtquam diu a febri quadam lenta aggreſſus fuit, in pleuritidem ſpuriam incidit, a qua poſtea repetita ſanguinis miſſione ex brachio, & ex pede liber evaſit. Quod ſi vero methaſtaſi facta intra pulmonis ſubſtantiam oriatur inflammatio, tunc fere ſemper lethalis eſt, & ſiqua praeſidia juvant, ſunt ſanguinis miſſio, dummodo vires id permittant, & oleum amygd. dulcium cum Bezoar. orientale ſumptum, potusque calidus copioſe ſumptus. Deſinunt praeterea febres in alvi fluxus, diarrhęam nempe, dyſenteriam, lienteriam, & hepaticum fluxum. Sed animadvertendum eſt, hic me non loqui de illis fluxibus, qui phthiſicis, tabidis, aut marasmodicis ſuperveniunt, cum hi ſint ob relaxatum fibrarum tonum, obque

obque dissolutam sanguinis crassim lethales, sed de iis loqui, qui acutis, aut cronicis febribus supervenientes funesti non semper sunt; quin imo aliquando boni, & critici; cum per hasce evacuationes febrilis, & peccans humor facile exorneretur. Fluxus dysenterici quandoque febribus superveniunt, quia febres tota, ut ita dicam, sua vi inter intestina transferuntur, & tunc curari iis fere remediis debent, quibus febres ipsae curantur, ut sunt lenientia medicamenta, emulsiones, potiones frigidae, cortex peruvianus, ac similia. Aliquando vero fluxus dysenterici ex universali Rheumate, atque ex nimio acri calore humores colliquante suboriuntur; tunc Aqua frigida magna in copia sumpta, ejusdem etiam Aquae clysmata, Gelat. C. C. & alia refrigerantia, acremque calorem temperantia praesidia mihi usui sunt. Notatu dingnum est, fluxum dysentericum lypiriae supervenientem bonum aliquando esse posse, uti ego notavi hoc anno in Francisco Ughene, qui malignissima lypiria correptus jam morte ipsa ad ostium pulsante, attamen superveniente dysenteria, ex ipsius mortis faucibus erreptus fuit. Diarrhaea vero, quae fupervenit febribus, semper bona dummodo in lienteriam non transeat; quod si fiat, lientericus fluxus, quem saepissime vidi in acutis febribus ex decidentia, tunc roborantia medicamenta adhibenda sunt, uti theriaca mane, & sero vino dissoluta, vini etiam potio in parva copia praesertim scopuli, cyprii, & hispanici. Quod si etiam obstinatus persistat at aquam salsam marinam, aut tetutianam confugiendum est, inde vero ad saccharum rosatum cum Aqua nucerina, ut nimirum salsedo illa nimia ab aqua salsa producta temperetur.

Supervenit etiam aliquando febribus hepaticus fluxus, qui tamen fere semper lethalis est, cum vel ex nimium acribus salinisque particulis dissolutaque san-

guinis crafi, vel ex obftinatis hepatis indurationibus, & obftructionibus dependeat. Juvenem temperamenti fanguinei, plethorici habitus, & vino deditum febri acuta continua, cum pulfibus, magnis, celeribus, & frequentibus laborantem curabam, hic tantum in visceribus incendum habebat, ut continuo ex fui corporis circumferentia fumus quidam male olens emanarent, huic poft nonam hepaticus ad heminam usque fupervenit fanguinis nigerrimi fluxus, undecima mortuus eft, curabam etiam alteram mulierem prope Divi Antonii templum febri quotidiana correptam cum hypochondriorum duritie, & lividis, ac turgidis circa angulos oculis, quae poftea fluxu hepatario correpta poft duos menfes mortua eft.

Defìnunt febres & quidem frequenter in menftruorum vel in hemorrhoidum fluxus, qui, ut plurimum, nifi fint praeter naturae ordinem abundantes, vel etiam colliquativi, boni, & critici funt licet poft hemorrhoidum fluxum nonnullos intolerabili fedalium venarum dolore male vexatos viderim, quem tamen per butyrum recens, & pluries aqua lotum vel unguentum Rofac. malvin. Populeum, & opium oleo Rofaceo folutum facile profligavi. Succedit etiam febribus aliquando Icterus, qui aliquando criticus, aliquando fymptomaticus eft, febres definunt primum in Icteros periodicae fingulis fuis circuitibus, & ficcuti periodus omnis eft veluti morbus integer, qui fuum habet principium, fuum augmentum, ftatum, & declinationem, ita icterus talibus febribus fuperveniens eft indicatorius fingulorum circuituum, biliofa nempe febrili materia a fanguine fecreta, & ad cutim fingulis periodis demandata; ut faepius in praxi obfervavi, hac in febri fingulis periodis in Icterum degenerante optimum remedium eft chin. chin. cum Rhabarb. mixta, ferum deftillatum, vel depuratum, & decoctum

ctum radicum graminis cichorei, fragariae, trifolii, aliarumque herbarum copiose sumptum. Secundo loco febribus acutis continuis Icterus supervenit, talique in casu observandum est, an superveniat ante diem sextum, vel post; si ante diem sextum supervenit, pessimus est, cum etiam in suis aphorismis Hippocrates dixerit, *Icterus ante septimum malus*: uti etiam in prorretico docet, *qui sextum morbi diem agentibus fiunt rigores, judicii sunt plane sinistri.* Ratio vero est, inquit Duretus, quia fit a bilis ante septimum exclusio semper mala, quamvis non semper sit funesta, ut ex epidemicis historiis colligi potest, nam Hermocrates sexta die factus Ictericus mortuus est, Virgo vero Larissaea sexta die ab horrore aggressa sanata est, aliquando vero aut septimo aut nono, aut aliis criticis diebus supervenit febribus icterus, & tunc criticus est, & bonus, ut notat etiam Hippocrates, nisi hepar induerit hepar, est etiam malus considerandus, omnique applicatione curandus, omnique applicatione curandus; quae curatio institui potest frigidis, & humidis unctionibus, sero Caprino tamarindato, decoct. herbarum, aperientium, marubii etiam, & curcumae, & cuscutae; & si dolor adsit, etiam sanguinis missione, hic tamen animadvertendum est, quod in historia de Theagene Cynico admonet Galenus, nimirum in morbis hepatis esse modice adstringendum, ideoque damnat Attalum, quia Mel, & Panem adhibebat. Supervenit tandem icterus in fine febrium, desinentibus febribus ipsis, qui aliquando sola exercitatione, & labore consumitur, aliquando vero ad plures menses obstinatus persistit, praesertim si sit niger, & quartanis superveniat; quo in casu magno cum fructu usus sum Aqua Tetutiana, & thermalibus etiam Aquis Recobarii, praesertim cum ab obstructione viscerum hepatis, & lienis, aut etiam cholidoci ductus talis Icterus

dependeat, succedunt febribus & quidem frequenter convulsiones, tremores, vocis interceptio, aut inarticulatio, quibus omnibus fomentis humidis, & largis emulsionibus medemur, cum ex inanitione, & siccitate dependeant.

Definit etiam febris aliquando in fortem Apoplexiam, quae brevi temporis spatio jugulat aegrotos. Quod praecipue a Medico practico notandum est, ut omni attentione adhibita tam funestus eventus arceatur, per fere viginti annos, quibus arti medicae incumbo, duos vidi & quidem senes, qui tali pacto e medio sublati sunt, ambo tamen erant senes habitus plethorici, temperamenti sanguinei, & vitae sedentariae; laborabant vero febri lenta continua, quae singulis diebus sub horis serotinis accendebatur, insensibiliter per noctem vires suas augens, caput gravando, soporemque inducendo cum urinis albis, & crudis, horum alter brevi temporis spatio Apoplexia corripitur, & jugulatur, alter vero tantum post vigesimam secundam diem, ad tantam vero calamitatem fugiendam vesicatoria brachiis talibus in casibus apponenda opportunum judico.

CAPUT V.

De morbis, qui Anginae superveniunt.

Anginae gravi, & statim jugulanti morbo graviores morbi non raro succedunt, & quidem aliquando pulmonum inflammatio, aliquando pleuritis: de quibus dicebat Hippocrates in suis aphorismis, *quibus ex angina ad pulmonem mali fit conversio, intra septem dies intereunt, si vero hos effugerint, purulenti evadunt*, quod ne fiat, debet Medicus totam suam

am vigilantiam impendere considerando primum, an anginae, quae sibi curandae demandantur, talis naturae sint, ut in pejora mala mutari possint; postea vero ea adhibere remedia, quae talem successionem, si tamen fieri possit, tollere valeant. Elapsis annis civis nobilis indolis adolescentula Ioannis Castrazaghi filia, interno gutturis dolore, absque visibili tumore corripitur cum acuta febri continua, & pulsu parvo, celeri, frequenti, & duro, huic a Chirurgo vena brachii secatur, & pedis, exhibetur cassia, externaeque parti unguentum de Althea, cum Butyro recenti, nido hirundinis, oleoque amygdalarum dulcium, & liliorum alborum commixtum apponitur, nullum sentiente ex adhibitis praesidiis Puella levamen arcessitus ego sanguinem ex sublingualibus mitto, cassiam externae parti appono, lac tepidum, emulsiones copiosas in usum revoco, omnia tamen incassum, tandem decima quarta absque ullo sputo, sensibilique evacuatione a dolore, febrique ipsa liberatur, postridie surgit e lectulo, ambulat per domum, & se se etiam ad sacram audiendam missam confert, post quinque dies febri acuta continua cum pulsu parvo, celeri, frequenti, & duro corripitur; adest respirandi difficultas, tumefiunt brachia, oculi, & manus, atque intra dies quinque adolescentula a morbo sublata est, quo exemplo, ut etiam alias observavi, edoctus sum, quod anginae illae facile in pulmones descendunt, quae siccae sunt, quae a materia calida, & acri dependent, quae aestate, & autumno magis fiunt, ut notat Hippocrates in libro de ratione victus; & quae sunt absque tumore glandularum, & partium externarum, & sine sputo, quae semper pessimae sunt, ut etiam Hippocrates notat in Prorretico, *Anginosis cum aequalitate faucium sputa subarida, malum*, hisce in dubiis

veſicatoria brachiis ad malignae materiae derivationem ſunt apponenda. Deſinit etiam, ut dixi, Angina in Pleuritidem, & hoc duplici modo fit, nam aliquando tota anginae materia, methaſtaſi facta, ſe defert ad pleuram, nullo anginae veſtigio relicto, aliquando vero pleuritis anginae, ipſa etiam angina permanente, ſupervenit, vidi plures ex ſimili angina ad pleuram delata interiiſſe, ſed plures etiam breviter, & facile repetita ſanguinis miſſione ex bracchio, & ex pede ex parte directa usque ad animi deliquium in ipſo transductionis principio, ſervatos notavi, veſicantibus etiam brachiis appoſitis, idque obſervavi in Sutoris Veronenſis filio, & in Reverendo Patre Benedicto Cappuccino, cui ex vento, & pluviis, & magno, longoque itinere mortaliſſima Angina ſuborta erat, certum tamen eſt, quod ex hisce duobus morbis pejor eſt ille, qui ab evaneſcente ex toto tumore anginoſo producitur, quam ille, qui ex propagatione, & extenſione materiae morbificae per conſenſum laryngis cum thoracis visceribus remanente adhuc primaria affectione ſuboritur. Dicebat enim Hippocrates in Prorret. *anginoſi in lingua tumores clam evaneſcentes, mortiferi.*

Non ſolum vero Anginae in Pectoris morbos, verum etiam aliquando in ventris, hypochondriorum, Capitis, & crurum morbos transmutantur, ut Magnus Hippocrates ipſe, artis Magiſter, pluribus in locis in Prorret. adnotavit. *In Angina qui abs re prorepunt dolores ad caput cum febre, ſunt deſperatae ſalutis: in Angina qui abs re prorepunt ad crura dolores cum febre, mortiferi. Ex Anginoſis Hypochondrii dolor irrita criſi cum infirmitate ſumma, & exſolutione obortus, clam necat, tametſi admodum videantur eſſe in tuto*, & alibi, *ex Anginoſis immerito adaequatis dolor praegrandis cum ad pectus, & ad ventrem tranſierit,*

erit, excretionem puriformem molitur, si quidem aliter non exsolvatur, ex Anginosis mortifera omnia, quae dolorificum malum foras non edunt, quin etiam ad crura procedunt diuturna mala, quae difficulter, & moleste in pus vertuntur.

CAPUT VI.

De Morbis, qui a Pleuritide proveniunt.

Magna, & graviſſima mala graviſſimo Pleuritidis morbo ſuccedunt; pleuripneumonia, enpiema, vomica, phraenitis, aurium, & pedum tumores, febres continuae acutae, & diarrhaea, de Pleuritide tranſeunte in pleuripneumoniam jam in ſuis aphoriſticis ſententiis Hippocrates ſcripſit: *ſi pleuritidi pleuripneumonia ſuperveniat, malum;* uti etiam dixit in Prorret *pleuripneumonia pleuritidi ſuccedanea gravior eſt primigenia*, neque aliter evenire poteſt, cum a nobili loco ad nobiliorem translatio fiat, pluresque ita affectos jam vidi, qui vitam cum morte commutarunt. Noſcitur vero talis maligna mutatio, quando dolor pleuriticus diminuitur, rubores ingentes in genis excitantur, & oculi veluti igniuntur, pulſusque ex duro mollis fit, quae omnia attente a Medico animadvertenda ſunt, ut in tanti morbi ſucceſſione parem ſe reddat ad aegrum ſalvandum: quod potiſſimum conſequitur cavendo, ne aegrorum vires nimia ſanguis evacuatione confringantur, cum enim materia jam amplius diſſolvi nequeat, ſed in ſuppurationem tranſeat, ut praecipue obſervatur in Pulmonia ſuccedanea, vel a pleuritide, vel ab angina, tunc venae ſectio parvi emolumenti eſſe poteſt, quin imo maximi detrimenti tollendo vires. Quas animadver-

verſio mihi feliciter ceſſit in nobili quadam, Vidua prope divae Mariae Templum, cui cum dolor pungitivus primum cœpiſſet fieri gravativus, & pulſus ex duro mollis, ad alteram venae ſectionem non deveni, ex quo inde factum eſt, ut eam ſuppuratam feliciter ſervaverim: Tranſit in Empiema Pleuritis, cum intra 14. dies non expurgatur, quod etiam Hippocrates notavit illis verbis, *qui pleuritide laborant, niſi intra dies quatuordecim ſuperne repurgentur, iis in empiema fit mali translatio.* Hoc ut plurimum fit, quando initio pleuritidis variae ſunt expuitiones; ſcripſit enim Hippocrates in Prorret. *inter pleuriticos, quibus initio variae ſunt expuitiones, ii tertio moriuntur, quos ſi evaſerint, nec dum multum illis ſit melius ſeptimo, aut nono, aut undecimo, incipiunt ſuppurari*, non autem omnes ſuppurationes ſtatim poſt quatuordecim dies rumpuntur, nam ex eodem Hippocrate, aliae *quidem fiunt vicenum dierum, aliae vero quadraginta, nonnullae etiam ſexaginta; Quibus vero initio dolor eſt fixus, & contumax, unaque difficilis reſpiratio, ac tuſſis cum ptyalismo, ad vigeſimum diem, eoque celerius ruptionem expecta*, haec autem mali translatio noſcitur ex doloris acerbitate, qui in gravitatem vertitur, ex febris mutatione, quae facile nocturno tempore recrudeſcit, nam dicebat Hippocrates quod *purlenti febres habent interdiu leves, de nocte fortiores*, hocque fit non propter incadeſcentiam, quam inducit cibus, ut vult Galenus, ſed quia fumidus vapor non tam libere habet exitum noctis tempore, ut notat Duretus pag. 277. ex dyphnaea, & ptyalimo, qui ante ruptionem accedunt, ex ſputo mutato ex ſalſo in dulce; *primum enim expuunt ſalſa mox dulciora*, dicebat magnus ſenex: ex rigore, qui crebro citatur; dicebat enim idem artis Magiſter, *qui perhorreſcunt crebro*

bro ad suppurationem deveniunt, noscitur etiam ex syncope, ex cardialgia, ex collapsa appetentia, & ex sudore cum facie rubicunda, quae ut plurimum etiam tanti morbi successionem comitantur. Inter specifica hujus morbi remedia enumeranda sunt decoct. flor. papav. errat. & hederae terrestris, sympus de Erysimo Lobelli, Pilulae Mediocris magnitudinis Ricardi Mortonis, & Balsamum sulphuris threbentinatum, quibus non paucos suppuratos servavi. Transit etiam Pleuritis in Vomicam, sed rarius, & tunc cessat sitis, tussis minuitur, pulsus in aequalis fit, aeger veluti tremore quodam concutitur, & expuit cruda nullo juvante medicamento. Curabam famulum illustris Civis Joseph. Toninetti utriusque juris Doctoris qui pleuritide magna correptus erat, tussi acerrima, siti inestinguibili, vigiliis, deliriis nocturnis, & maxima anhelitus difficultate comitatus, videbatur nullo modo posse ex tam vehementi inflammatione evadere, evasit tamen cessante febri, siti, delirio absque ullo coctionis signo, sputo semper tenui, & crudo existente, febricula tamen sub horis serotinis accenditur, & tussis sicca semper comitatur; neque tamen per tres menses ab domesticis Domini negotiis agendis impeditur, at post illos maxima, & nova respirationis difficultate aggreditur, & dirupta vomica moritur. Pleuritidem in causon permutari docet Hippocrates primo de morbis; & ratio est, docet Mercurialis, quia materia biliosa, quae jam caeperat colligi in lateribus, retrocedit in venas cordi proximas, atque ibi putrescens facit ardentem febrem, transit etiam, & quidem frequenter, Pleuritis in febrem acutam continuam, licet enim febris semper comitetur inflammationem, aliquando etiam inflammatione sublata ex illa materia stabulante intra Thoracis cavitatem, atque per sanguifera vasa delata, veluti nova febris excitatur, quae

ali-

aliquando benigni, aliquando maligni synochis morem sequitur, de hac pleuritidis specie sese in febrem continuam commutante plures, atque plures in praxi vidi, quorum etiam majorem partem emulsionibus, medicamentis parogoricis, vesicatoriis, & plandis diaphoretis servavi.

Pleuritis quandoque etiam in phraenitidem transit nullo primarii morbi vestigio relicto, tota nempe per methastasim morbosa antecedentis morbi ad cerebrum delata materia, alteraque in meningibus inflammatione excitata, quae ut plurimum funesta est, cum dixerit Hippocrates in Prorret. *phraenitis pleuritidi succedanea malum*, noscitur haec morbi transmutatio ex pulsu celeriori, & frequentiori facto, ex respiratione rara & gravi, & ex urinis claris tenuibus, hisce diebus, quibus haec scribo, aggressi sunt duo homines lateris dolore non tam acuto, at febri acutissima & anhelitus constrictione, absque siti, & tussi continuis tamen vigiliis cum urinis albis tenuibus agitati; hi ambo post repetitam venae sectionem ex pracchio nempe, & ex pede, videbantur praeter spem levari, mitiori nempe absque sensibili vacuatione, & sputo reddita febri, at post tres dies respiratio gravior, & rarior fit, pulsus frequentior, & celerior, febri ardentissima jam excitata, & delirio correpti ambo intra quinque dies nullo juvante praesidio moriuntur, adeo verum est, quod dixit Hippocrates, *quod iis, qui absque ratione bene se habent, non oportet fidere.* Succedit aliquando pleuritidi lethargus, quod aperte cognoscitur ab insueta pulsus raritate, quod notandum diligenter a Medicis est, ut propriam existimationem in tam lethali morbi successione tueantur.

Succedunt etiam pleuritidi affectus soporosi, qui pariter ex raro pulsu praedici possunt, at hic notandum diligenter a Medico est, quod hi affectus ali-

quan-

quando ſuccedunt pleuritidi ex aliqua in pulmone, & thoracis membranulis ſtabulande materia ad caput delata, & tunc ut plurimum eveniunt, quando primarius morbus adhuc viget, & exitiales ut plurimum ſunt; aliquando vero eveniunt, in fine primarii morbi; ac veluti per criſim, iam pulmonum morbi ad conſumationem redacti capitis morbos ſoporoſos producunt, qui morbi non ita exitiales ſunt, neque curatu difficiles, uti in ſene Benaglia, aliisque pluries obſervavi. Pleuritidi paralyſis nonnunquam ſupervenit, quae tamen repetitis venae ſectionibus mihi contigit ſanare in muliere quinquaginta annorum naturae calidae, & ſiccae frigidis, & humidis praeſtitis perſeveranter medicamentis.

Tranſit praeterea Pleuritis in tumores vel ſub auribus, vel pedibus, qui ab ipſo Hippocrate in Prorretico boni habentur, & judicantur, inquit enim, *quibus ex peripneumonia ſub auribus, vel infernis partibus naſcuntur abſceſſus, ibique ſuppurant, & fiſtulantur, hi defunguntur morbo.* Quo etiam in loco nos admonet, de ſignis talem praemoſtrantibus eventum ſubjiciens: *exoriuntur vero ad infernas partes, quibus hypochondria excandeſcunt; ad ſupernas autem, quibus hypochondrium quidem molle eſt, dolorisque expers, ipſi vero pauliſper ſuſpirioſi quieſcunt ſine cauſſa, at vero, qui ad crura deſcendunt Abſceſſus in peripneumonia multum periculoſa utiles quidem omnes, ſed optimi demum illi, qui purulento jam ſputo pro flavo abſcedunt; ſin autem ſputo non edito convenienter, nec urina hypoſtaſim bonam habente, periculum eſt, ne vel homo claudicet, vel multum faceſſat negotii,* cavendum tamen eſt, ne talis abſceſſus recurſus fiat ad dictas partes, cum doceat idem Hippocrates, *ſin autem recurrant abſceſſus, & febris confectaria ſit, nec ſputum foras exeat, hinc mortis, & delirii metus adfertur.*

Succedit Pleuritidi aliquando etiam diarrhaea, quae

quae distinguenda est, an sit critica, vel syntommatica; si critica sit, quae fere semper in biliosa pleuritide evenit, bona etiam in pleuritide diarrhaea est; si vero symptomatica, mala ut plurimum est, cum ab ipsa supernae partes exsiccentur, & sputi purgatio amplius prodire non possit, de hac diarrhaea locutus est Hippocrates in Prorretico illis verbis; *quibus autem pleuriticis illud accedit etiam, ut multum rubeat dorsum, incandescant humeri, & ipsi residendo graventur, alvus autem perturbata viridi, & multum foetida bile feratur, ii sane propter eam subductionem vigesimo die intereunt, quos si effugerint, periculo defunguntur.*

Succedit etiam pleuritidi pleuritis, & pleuripneumonia pleuripneumoniae ipsi, & tunc evenit quando ex una pleurae parte ad alteram, & ex uno pulmonis globulo ad alterum globulum transfertur morbosa materia, quo in casu animadvertendum est, pejorem esse pleuritidem, quae ex latere ad dorsum defertur, quam quae ex dorso ad latus, quia pleura in parte posteriore ad dorsum spectante est durior, quam in anteriori, sicuti pariter peior est pleuritis, quae ex latere sinistro fertur ad dextrum, quam quae ex dextro ad sinistrum, cum pars dextera ob majorem exercitationem densior sit. Elapsis diebus in Vico, qui vulgo dicitur, Disciplinae, curabam mulierem, cui ex dorsali dolore pleuritico subortus est dolor lateris dextri, inde post duos dies alter excitatus est sub latere sinistro, accedente maxima corporis gravitate, & respirationis, ita ut neque in unum, neque in alterum latus se amplius movere posset, sed semper supina jacens siti, vigiliis, molestaque tussi concitabatur; attamen pulsus erat semper elatus, expansus, durus, & fortis, huic septies vena secta, & post copiosam sputorum, & urinarum excretionem restituta sanitas est.

CA-

CAPUT VII.

De morbis ab hepatis morbis supervenientibus.

Cum hepar viſcus ſit Glanduloſis acinis, & pluribus ſurculis a Vena Portae, a Vena Cavae, & Pori Biliarii conſtructum, variis, & quidem graviſſimis morbis, neque raro afficitur, a quibus poſtea alii fere innumerabiles ſuboriuntur, ut enim eſt corpus glanduloſum, ita indurationibus, obſtructionibus, & tumoribus ſubiacet, quibus hydrops, Icterus, cachexia, & febres Fernelianae ſuccedunt, ut vero venoſum corpus eſt, intemperiei calidae, dolori, inflammationi, & calori eſt obnoxium, quibus ſuperveniunt dolor capitis, colliquationes, bilioſi vomitus, ſcirrhi, & morboſae fere omnes cutaneae affectiones. De hydrope morbis hepatis ſuperveniente jam loquitur Hippocrates aph. 55. lib. 7. illis verbis: *quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur*, repletur autem hepar aqua ex vaſis lymphaticis illuc confluentibus, & plerumque hydatides innumeras ob glanduloſorum acinorum obſtructorum compreſſionem excitantibus, quae ubi nimium diſtentae amplius expandi non poſſunt, neque aquam graveſcentem continere, in omentum, quod hepati, & ventriculo ſuperincumbit, illam exonerant, unde omentum ipſum ſua natura adipoſum ab ejusdem ſalſilagine acri, ut docet Tozzi, & erodente disrumpitur, atque univerſam aquam in ventrem, ideſt in abdominis cavum effundit, & hydropem aſcitem dictum excitat. De Ictero obſtructionibus, & hepatis indurationibus ſuperveniente dicetur inferius cap. 8. de Ictero. Cachexia autem ſuccedit ob impeditam a tali obſtructione bilioſarum particularum ſecretionem, un-

de sanguinis crassis vitiatur, febris vero illa Fernesiana aliquando solas obstructiones in hepatis canaliculis subsequitur, quandoque vero humores excrementitios in Paranchymate ipso detentos, substantiamque ejusdem visceris labefactantes, & quodammodo corrumpentes.

Inter vero illas aegritudines, quae intemperiei, calori, dolori, & hepatariae inflammationi superveniunt, dolor capitis, colliquationes, biliosi vomitus, scirrhi, & omnes fere morbidae cutaneae depravationes enumerantur, de dolore capitis morbosae hepatis affectioni superveniente habetur historia apud Forestum observat. 48. lib. 9. de uxore sua, quae dolore capitis in parte dextra detinebatur, cum tensione, ac dolore hypochondrii dextri, hunc dolorem ab hepatis calefactione, & oppilatione originem habuisse indicavimus, urinam tenuem subcitrinam, rubram, & claram mingebat. Quod autem dolor capitis a vitio hepatis dextram partem magis occupet, fit ratione rectitudinis; natura enim partium servat directionem, si vero hepar immodice calet, & veluti ignescit, majorem biliosarum acrium salinarum particularum copiam gignit, unde colliquativi fluxus, ardentissima febres, quibus colliquantur nutrivi humores, & vomitus biliosi subsequuntur, scirrhus autem succedit quandoque inflammationi; caloris enim vi tenuioribus crassioris sanguinis partibus facile exolutis, crassioribus vero terreis relictis in scirrhum inflammatio hepatis mutatur, tandem a jecore calidam intemperiem patiente omnes repullulant cutanei affectus, & tamquam a sua primaria origine scateriunt, quos tamen omnes recenset Zacutus Lusitanus quaest. 52. pag. 369. lib. 2. in quorum curatione debet medicus primigeniam morbidam hepatis affectionem respicere, ut facile sanationem consequatur.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Morbis, qui ex Ictero derivantur.

Ex Ictero tam accidentali ab obſtructione ſcilicet cholidici ductus dependente, vel a viſcida bile, vel a felleae veſicae calculo producto; quam originario, ab hepatis ſcilicet obſtructione, vel ſcirrho orto duo ſtatim effectus morboſi oriuntur, bilis ſcilicet ſanguinis Balſami, & condimenti intra inteſtinorum cavitates defectus, quo chylus ob inperfectam ſecretionem fecibus commixtus non in fluidorum, ſuccorumque digeſtivorum reparationem in cruoris maſſam ingreditur, ſed cum ipſis per inteſtina deſcendens foras excluditur, unde fęces ut plurimum cineritiae eſſe ſolent, una cum manifeſto aegri, vel ab ipſis morbi primordiis, languore, & imbecillitate. Alter vero eſt nimia eiusdem bilis in fluidorum maſſa congeſtio, a qua poſtea color cutis deturpatur, urina crocea redditur, aliique effectus producuntur, quibus aperte noſcitur, cruoris maſſam bilioſis impuritatibus ſcatere. Ex effectu prius memorato per continuam novi chyli detractionem, ut plurimum ſuccedit Atrophia. Ab effectu vero poſteriori ſanguinis maſſa alterata, & morbide affecta, utpote particulis bilioſis, acribus, & pungentibus nimis ſaturata in calorem phthiſicum degenerat, unde quandoque etiam ex Ictero ſuccedit febris tabida & quandoque etiam ex ipſa febri tabida pulmones caleſiunt, inflammantur, & putreſcunt, unde etiam ob tonum ſanguinis ſenſim everſum phthiſis pulmonaria cronica ex Ictero ſuccedere ſolet.

Ictero etiam ab hepatis duritie orto hydrops aſciticus frequenter ſupervenit, ob vaſorum lymphaticorum per hepatis ſubſtantiam reptantium conſtrictionem, a qua conſtrictione ita comprimuntur vaſorum extremitates, ut ad tantam dilatationem ob impedi-

tam in illis partibus circulationem deveniant, donec earum ruptura ſequatur; cui etiam frequens narium haemorrhagia a circulatione in aliis partibus impedita ab hepatis obſtructionibus orta, uti etiam a nimia ſanguinis acritate, fere ſemper adjungi ſolet. Foreſtus lib. 19. Obſer. 40. pag. 393. T. 2. narrat hiſtoriam de Aſcite ab ictero originem habente, pro cujus curatione adhibet celeberrimus Auctor fotum cum ſpongia paratum ex radice Altheae, malvar. & violar. foliis chamom., & Melil. floribus, roſis rubeis, & Abſcinthii ſummitatibus cum ſeminibus malvae coctis in Aq. com. addit. acet. Roſac. & Aq. Roſarum cum ſpecie, ut aiunt, Dyarrhodon Abbatis, inter vero morbos, qui frequentius ictero ſuperveniunt, ſunt inteſtinorum, hypochondriorumque dolores, qui, cum duplex icterus ſit, accidentalis ſcilicet, & originarius, duplici pariter, & admodum differenti modo excitantur; nam fiat ſi Icterus a Ductus fellei obſtructione, ob maximum, quem habent inter ſe choledochus & inteſtina conſenſum, a bilis ſcilicet acri viſciditate, ejusdem ductus ſpasmodice affectus, inteſtina pariter in conſenſum trahit, unde primum ſpasmodici dolores excitantur, qui ſubinde etiam ventriculum invadunt, colicamque ventriculi propriam excitant, nec non etiam quandoque augmentum ſortiuntur ab ipſarum fecum viſciditate, & glutinoſitate, quae nimis arcte internis inteſtinorum cavitatibus adhaerent, unde ingens colicus dolor aliquando oritur, ut de Muliere Alemariana aſſerit Foreſtus obſerv. 21. lib. 19. pag. 363. Alter vero modus, quo hypochondriorum dolores fiunt, eſt, quando Icterus ab induratione, obſtructione, vel ſcirrho hepatis oritur; ubi enim primum hepatis Parenchima in tantum conſtringi, ſeu condenſari contingit, ut naturali ſua laxitate iam privatum ſanguinis trajectionem difficulter admodum per ſe admittat,

mittat,

mittat, necesse est per venam Portae atque ejus ramulos, qui sanguinem huc referunt, a continuo novi sanguinis appulsu propter hic positum obicem multum denuo tumefieri, & varicosos reddi, quo facto ob distensionem, irritationemque continuo in membranis factam, quas vasa haec varicosa perreptant, horrendus hic, & spasmodicus dolor oritur, qui usu solum chalybeatorum, & diureticorum partibus subtilibus, & penetrantibus praeditorum, eoque satis longo & pertinaci, qui quidem obstructionum hepatis reserationi par sit, tolli potest.

Quod vero ad horum morborum curationem attinet, sicuti hi non oriuntur nisi primario adhuc permanente morbo Ictero scilicet, a quacunque demum caussa orto, ita successio morborum ab Ictero emanantium, quaecunque tandem ea sit, tolli non potest, nisi pariter primarius morbus rescindatur. Itaque quicunque talem successionem curandam aggreditur, is semper mentem suam ad illum scopum dirigere debet, ut & primigenium morbum curet, & secundariis eodem tempore, & succedentibus morbis succurrat, quod certe fiet, si medicamenta hepatica, & destruentia iis medicamentis, quae peculiarem, & secundarium morbum respiciunt, optime commiscere sciat, itaque si atrophia curanda veniat, reparanda substantia nutritiva est, eodemque tempore choledochi obstructio tollenda. Quod fit infus. C. C. raspat. Rasurae Eboris cum ranarum, & vituli carnibus addendo in fine decoctionis radices Petroselini Feniculi, cichorei & curcum, si febris phthisica, indicantur statim Gelat. C. C. serum lactis radicibus aperientibus alteratum, infusiones Rhabarbari & similia si tabes pulmonaria, adhibenda remedia sunt pectoralia hepaticis commixta, uti decoctum Pectorale, & radicum aperientium cum cro-

co in nodulo ligato, & Pilulae Balſamicae Ricardi Mortonis. Si hydrops, deobſtruentia, & chalybeata, & diuretica, ſed hanc ſemper lethalem vidi, utpote ab exulceratione hepatis & lymphaticorum ruptura dependentem, ſi tandem inteſtinorum, & hypochondriorum dolores curandi ſint, iis diureticis, & chalybeatis ſuccurrere debemus. Illud tamen ſemper animadvertendum eſt, quod in omnibus hisce morboſis affectionibus, utpote vel a choledoci ductus, vel ab hepatis obſtructione pendentibus, ſemper ſapo venetus, & thermales Aquae, & quidem ſalinae, ſulphureae, aut chalybeatae, uti ſunt illae Fontis Divae Virginis, atque illae Recubarii optimae ſunt, & in uſum revocandae. Hepatis autem regioni ſi morbus ab obſtructione bilis ductus oriatur, fotus ex radicibus aperientibus, ſeminibus lini, & fœnugraeci, & ex floribus chamomaeli, & meliloti paratus apponendus, at ſi ab hepatis induratione, & obſtructione, aut oxicratum, aut ceratum ſantalinum, aut unguentum roſaceum, aut alia huiusmodi ſtyptica, & infrigidantia eaque frigide applicata ſcopum multo magis attingunt, quam fotus, & lenimenta calida, quibus potius ſanguinis varicibus contentus agitatur magis & excandescit. Reverendiſſimus Archipresbyter Nicoletti ob vehemens animi pathema, & ob longam in loco clauſo, & humido moram Ictero nigro recidivante corripitur, inde poſt duos annos febri lenta continua aggreditur, ex qua poſtea tuſſis ſicca circa Septembris finem, hyemis medio mortuus eſt. Admodum Reverendus Caspar Scartazzi Ictero flavo recidivante, cui etiam multoties celeberrimus Macoppe ſuccurrit, per plures annos correptus, tandem dolore, hepatis, hypochondriorum tenſione, febri atbida continua, pulſu debili, & parvo, ſiti ineſtinguibili, manentibus partibus exterioribus, ut plurimum frigidis, Decem-

bris

bris menſe aggreditur, & intra viginti dies mortuus eſt. Non diſecui eorum cadavera, quia Domeſtici & Conſanguinei abnuerunt. In nobili quodam Alae Graecorum militum Praefecto ex Ictero flavo recidivante dolores ventriculi, & hypochondriorum excitantur, qui quandoque usque ad dextrum latus propagabantur; curatur aeſtivo tempore aquis thermalibus, & chalibeatis, at hyemis medio iterum recidivat, & mortuus eſt; ex quibus obſervationibus facillime deduci poteſt, quod ut plurimum morbi illi Ictero ſuperveniunt, qui in recedivam prolabi ſolent.

CAPUT IX.

De morbis qui ex doloribus Inteſtinorum fiunt.

Inteſtinorum dolores frequentiſſime homines adoriuntur, & quandoque in alios etiam morbos tranſire ſolent; & quidem praecipue in Paſſionem iliacam, in Abſceſſum, in dolorem dorſi, & Capitis, in epilepſiam, in Paralyſim, in Arthritidem, in Synocham, in Tabem, atque in hydropem, & urinae difficultatem. Inteſtinorum dolores in Ileos transeunt, cum ſcilicet dolores ipſi inteſtinorum, nullo adhibito remedio cedentes talem, ac tantam fibrarum crispaturam, irritationemque producunt, ut ſuspenſa in iis partibus fluidorum, & praecipue ſanguinis circulatione inflammationem excitent, unde reſtricto inteſtinorum diametro feces amplius descendere nequeunt, ſubverſoque ſiſtaltico, ac vermiculari eorumdem motu totus excernendorum excrementorum ordo cadit, & febris lypiria excitatur, cui morbo utpote ab inflammatione excitato nullum remedium ſatis eſt,

quotque aegros ego vidi ita affectos, totque orci faucibus vidi traditos, quamobrem debet prudens Medicus in pertinaci, & vehementi inteſtinorum dolore ad inflammationem impediendam opportuna ſanguinis miſſione uti, oleum amyg. dul. exhibere, frequentes clyſteres, unctiones, embrocationes, & fotus abdomini adhibere, omentum vervecinum apponere, refrigerantia, & diluentia adminiſtrare, atque in pertinaci opiatorum uſu perſiſtere, dummodo tamen dolores a materia acri calida oriantur, quod ſi vero a materia craſſa, & viſcida producti ſint, tunc purgantibus, & laxantibus medicamentis utendum eſt. Inteſtinorum dolori ſuccedit aliquando Abſceſſus, quod praecipue fit, cum morbus negligitur, aut male curatur, refert Guilhelmus Fabricius centu. 2. obſerv. 74. feminam quamdam graviſſimo dolore colico cum ventris conſtipatione, ac vomitu correptam fuiſſe, indeque febrem exortam, neglectoque morbo dolorem ita auctum, praecipue in ſiniſtro latere ſub coſtis nothis, ut per octiduum nullum ſomnum capeſſere potuerit, ventrem fuiſſe tumidum inſtar tympani extenſum, & neque flatum, neque excrementa, toto octiduo ejeciſſe, tandemque ruptum eſſe abſceſſum in ſiniſtro hypochondrio, ea ſcilicet coli parte, ubi eſt anguſtius (id quod Fabricius inde cognovit, quod non parum puris per alvum excrevit) & ſuperveniente ſudore frigido, ac ſyncope aegram mortuam eſſe. Dolor Dorſi inteſtinorum dolores aliquando conſequitur, & tunc fit quando inteſtinorum dolor, aut in conſenſum meſenterium trahit, aut per ipſum meſenterium materiae vitioſae propagatione ad dorſum usque extenditur, quod utroque modo facillime evenire poteſt, cum meſenterium dorſo alligetur, haec morborum ſucceſſio frequenter evenire ſolebat in nobili Cive, admodum Reverendo Dominico Pecudario adhuc

adhuc vivente; is enim primum doloribus inteſtinorum vehementibus excruciabatur, inde ad dorſum usque extendebantur dolores, flexionisque motum ita impediebant, ut niſi erectus decumbere nequiret, adhibitis per multos annos incaſſum multis remediis, tandem uſu Aquae dulcis Balnei, in meliorem valetudinem redactus eſt. Succedit etiam inteſtinorum dolori capitis dolor, ut obſervatione 47. lib. 9. notat Foreſtus de Puella Delphia viginti duorum annorum, quae in Flandrica Platea vulgo dicta commorabatur anno 1566. menſe Octobris circa inteſtina vexabatur, bilioſa dejiciebat non ſine febre, & capitis dolore vehementiore. Tormina tunc circa ventrem experiebatur, & dolorem illum inſignem capitis ab inteſtinis oriri putabam.

In epilepſiam, & in artuum reſolutionem inteſtinorum dolores quandoque transmutantur, delata nempe ex inteſtinis mediante ſanguinis circulatione, vel ad caput vitioſa materia, vel etiam ad nervorum principia, unde vel epilepſia, vel paralyſis producitur, legendus eſt Paulus libro 3. cap. 45., ubi narrat, ſub ditione Romana ita vagatum eſſe tempore ſuo morbum quendam colicum, qui aliquibus in comitialem morbum, aliquibus in artuum reſolutionem vertebatur.

Quod ſi in articulos ex inteſtinis deferatur materies morboſa, tunc doloribus inteſtinorum dolores artuum ſuccedunt, quibus lac, & Balnea mederi maxime valent, ut obſervavi in aegrotantibus meis.

At aliquando inteſtinorum dolores, praecipue colici, & qui oriuntur a materia calida, transeunt in febrim ſynocham, translata nempe ex inteſtinis intra ſanguifera vaſa vitioſa materia, quae febris curatur refrigerantibus, emulſionibus, & blandis diaphoreticis, ut pluries, & pluries obſervavi praecipue in mu-

liere hujus nostri Vici Sancti Christofori, quae frequenter doloribus colicis aggreditur, qui postea in talem febrim tandem transeunt intra septem, vel quatuordecim dies discedentem. Oritur praeterea febris tabida intestinorum doloribus, & praecipue iliacis, qui a phlegmone quodam originem suam trahunt, quod postea intestinorum substantiam laedit, & febrim lentam continuam producit, quae tabido modo fibrosam nempe solidorum substantiam consumendo aegrotos de medio tollit, ut observavi in Pozzoboni conjuge, quae a doloribus intestinorum marasmodica facta tandem mortua est. Sunt etiam dolores quidam circa umbilicum, qui nullo medicamento solvuntur, & hi facile in ascitem transeunt, ut Hippocrates Magnus illis verbis docuit, *quibuscunque tormina, partiumque circumcirca umbilicum fiunt labores, unaque lumborum dolor, qui neque a pharmacia, neque aliter solvitur, in hydropem siccum finitur*, rationemque reddit Duretus, dicens id evenire ob flatulenti spiritus perennitatem ab intemperie tabida tenujum intestinorum, quibus mederi non potis est Medicus, transeunt tandem intestinorum dolores in urinae difficultatem, translata nempe materia morbifica ex intestinis in vesicam urinariam, ut etiam Hippocrates notavit.

CAPUT X.

De morbis ex Dysenteria fluentibus.

Dysenteria longus, lethalis, & laboriosus morbus in alios quandoque non minoris momenti morbos transire solet: praecipue vero in abscessum, pleuritidem, in pustulas; lienteriam, in hydropem; in deglutiendi diffi-

difficultatem, in melancholiam, in epilepſiam, in ſcabiem, in ophtalmiam, in inſaniam, aliosque morbos. At quoniam de dyſenteria mentionem fecimus, opportunum duco, nonnulla de epidemica anni praeteriti 1736. dyſenteriarum conſtitutione recenſere, quae lectoribus meis non inutilia eſſe ſpero futura, calida jam nimis, & ſicce aeſtate praedominante circa Menſis Julii medietatem hic morbus ſaevire cepit, ac primum in eos ſe ſe exercere, qui aetate erant provectiores, temperamento calido, & ſicco, aut calido, & humido praediti, & mentis, vel corporis agitationibus dediti, inde etiam in juvenes, & pueros, atque infantes, atque in eos praecipue, qui minus fructibus fugacibus indulgebant, quorum copia tunc temporis frequens erat, in aliquibus febri aut continuae, aut primum intermittenti fluxus ſuperveniebat, in aliis vero fluxibus ipſis febris, dolores quandoque in quibusdam totum abdomen, in aliis circa umbilicum tantum, & in aliis circa hypoſtragium ſiniſtrum invadebant, egeſtio ut plurimum, erat cruenta, quandoque excoriativa, & mucoſa; quandoque etiam cum carunculis ſanioſa, & craenta aderant premitus, & quandoque etiam inanis egerendi cupidias, vigiliae, ſitis, nauſea, atque appetitus proſtratio, nec non etiam intolerabiles dolores, & cruciatus, quibus ad ejulandum, & exclamandum aegroti cogebantur, nullam dyſenteriam illis temporibus viginti diebus breviorem vidi, omnes fere ad quadraginta usque dies, vel etiam ad duos menſes extendebantur, harum dyſenteriarum nonnullae ad ſeptimum usque diem mucoſae, & ſanguineae erant, caeterum bilioſae, virides, & croceae aut etiam ſtercoraceae, & varii coloris reddebantur, inter hos fuit quaedam nobilis Clauſtralis aetatis viginti circiter annorum naturae ſanguineae, quae poſtquam plus quam par erat, pa-

nem-

nem comedisset, incidit in dysenteriam, quae primis quidem diebus mucosa, & cruenta erat, at post septimam diem stercorea facta est tanta cum copia, ut ne cogitari quidem possit, quomodo intra intestinorum cavitatem tota illa materia contineri posset; huic per totum morbum abdomen durum, & elevatum erat, & intra feces fluidas identidem moles quaedam ad castaneae, magnitudinem reperiebatur, quae lapidis duritiem aemulabatur, haec non nisi saepius repetitis purgantibus potionibus sanata est; dysenteriarum principio ita aegrotantium vires prosternebantur, ut opportunum duxerim eos in lectulo ad egerendum detinere, quod si consequi non potuerim ob aegri impotentiam, excrementa qualibet vice exportare a cubiculo faciebam, ne ab eorum malitia foveretur morbus, semperque vas aqua frigida abluere, & detergere. Porro, ut horum morborum curationem ea diligentia, quae tanto morbo par erat, susciperem, cogitavi primo statim, cum haec affectio in iis potissimum, qui exercitationibus, & laboribus dediti erant, quique natura sanguinea, aut biliosa erant praediti, se se exerceretur, atque eo anni tempore, quo maxime calor, & siccitas vigebant, cogitavi, inquam, dysenterias illas a specifico aliquo humore, qui caliditatem, & siccitatem redolleret, produci, quemque alio modo mente concipere nequibam, quam sub nomine, & idea biliosi, salini, acris calidi humoris, malignam naturam habentis, & intestinorum villos, atque internas membranas ita crispantis, atque irritantis, ut ad eorum exulcerationem, & dissolutionem morbus deveniret, tali hujusce morbidi affectus concepta Idea statim abluendi, refrigerandi, acredinem temperamendi, humores vitiosos educendi, ac tandem affectas partes roborandi indicationes ultro se obtulerunt, quibus ut satisfacerem in remediorum praescrip

ſcriptione magno cum aegrotantium fructu ita me geſſi, quibus dyſentericis nauſea praecipue jungebatur, ſtatim Radicem hippecuacannae, vel ad drachmam ſemis, vel ad duos ſcrupolos, vel etiam ad unam drachmam, vel per duos, vel etiam per tres dies cum Aquae frigida magna ſuperpotatione exhibebam, inde ad uncias quatuor, vel quinque amygd. dul. recens oleum exhibebam, nec non etiam eodem tempore parvos, & frequentes clyſteres injiciebam, totoque abdomini ex unguent. Roſc. malvino, cum oleo hypericon, & violaceo unctionem adhibebam, atque vervecinum omentum recens oleisque liliorum alborum, & amyg. dul. imbutum apponebam; quandoque etiam in progreſſu morbi oleum cydoniorum, & myrtilorum cum theriaca unguento ipſo addebam, interim totus eram in obſervatione, an aliquod Rheuma univerſale excitaretur, & colliquatio aliqua in humoribus eſſet, quod ex febri acuta, & humoribus tenuibus biliofis maxime deducebam; quod ſi ſuſpicio aliqua hujusmodi affectus in animum caderet, vel ſerum depuratum mane ſingulis diebus exhibebam, cum eodem etiam Hippocrates in Erotolai filii dyſenterico fluxu uſus ſit, vel Doctiſſimi Mercurialis ſententiam in commentario in libro de diaeta in morbis acutis expreſſam in uſum revocabam, ſolamque aquam frigidam copioſe praeſtitam adhibebam: idque non in hoc caſu tantum, verum etiam in aliis faciebam, in quibus alia remedia minime prodeſſe cognoveram, hacque methodo ea, quae Celſus capite de dyſenteria in libro quarto docet, ſaepius ſum expertus. *Si pluribus diebus nihil remedia alia juverunt, vetusque jam vitium eſt, Aquae bene frigidae potio aſſumpta adſtringit, & initium ſecundae valetudinis facit.* Saepe etiam in illis corporibus, quae humoribus a nimio cibo, & potu ingeſtis ſcatent, purgantes medicinas in uſum revocabam vel

vel ex ſyrup. ſolutiv. Roſarum, vel ex infuſ. ſen. pulpae Tamarind. caſſiae, cum fiſtulis cremor. Tartar. aliorumque, vel etiam ex caſſia cum pulpa Tamarindorum, & cremor. tartari; quibus etiam pro potu ordinario erant ſerum deſtillatum, Aqua nucerina, Aqua etiam ſimplex pluvialis, aut puri fontis, quibus etiam emulſiones copioſas 4. frigidorum ſeminum, amyg. dulcium, & ſeminum papav. albi parabam. ab adſtringentibus vero, & chalybeatis tamquam a toxico aliquo me arcebam ad ultimos usque dies, ne ſiſtendo adſtringentibus fluvum, Lupum ſtabulo includerem, & vitioſa hujus morbidi affectus materies intra inteſtinorum cavitates cohibita majoris irritationis cauſſa fieret, ſaepenumero tamen poſt tales dies, & adſtringentia, & Rhabarbarum in medicinis purgantibus adhibebam, quibus identidem utebar ad ſpecificum dyſentericum humorem eliminandum, tunc etiam Aquam chalybeatam; decoctiones vulnerarias plantaginis, & urticae, Aq. Tormentillae, Plantaginis, Portulacae cum nive Martis, terra ſigillata, Bolo armeno, & Draconis ſanguine, Conſervam Roſarum antiquam, atque ſimilia in uſum revocabam, pro ut affectionis vis, & tempus poſtulabat, quid ni etiam tamquam ad ſacram ancoram ad corticem peruvianam, in illis praecipue, in quibus febris aliqua acceſſione ſe ſe oſtendebat, confugiebam, illaque tam feliciter apto tempore uſus ſum, ut veluti arcanum admirabile videretur, erat autem non ſimplex cortex, ſed hac mixtura involuta, quae mihi in dyſentericis fluxibus familiaris eſt.

℞. Conſervae Roſarum Antiquae ℥ iiii.
Cortic peruvian. pulv. ℥ iſ.
Boli Armenae pul.
Terr. Sigilatae pul.
Sanguin. Dracon. pul. a ʒ i.
Electuar. Diaſc. Fracaſtor. ʒ iii.

Opii

Opii pul. gra. iiii.
Aq. ſuc. Plantagin.
Tormentil.
Portulac. a ℥ i. ſ.
Syrup. Myrtilor. ℥ i.
M. pro mixtura.

de qua ſingulis diebus quatuor horis ante cibum partitis vicibus cochlearia ſex ſumebat. Sed cum in hac affectione maxime doloribus, & cruciatibus proſpiciendum ſit, qui non tantum effectus, ſed concauſae morbi evenire poſſunt, illumque augere, & in inflammationes, & abſceſſus transmutare, ſtatim primis ipſis diebus Electuarium dioscordium Fracaſtorii, cum radice contrajervae, & laudano opiato mane, & veſperi exhibebam; quandoque etiam laud. liquidum Sydenam, cum Aqua Plantagin. tagin. Tormentil. & Portulacae vel ad triginta, vel ad quadraginta guttas partitis vicibus propinandum praeſcribebam, quod ſi horum remediorum uſu intentum meum obtinere non poteram, quin imo in animum ſuſpicio caderet, quod hi affectus in abſceſſum degenerare poſſent, ad vitioſae materiae diverſionem, & per ambitum corporis eliminationem cogitabam, quod conſequi etiam mihi datum eſt in Reverendiſſimo noſtro Archipresbytero ſumma virtute, & vigilantia praedito, & ſtibii diaphoretici uſu, & quatuor veſicantium cruribus & brachiis appoſitione, edoctus a Doctiſſimo Mercuriali in Serapis hiſtoria, de quo ſcripſit magnus Senex in epidemicorum libris; *Serapis ex dyſenteria venter intumuit, inde abſceſſu facto mortuus eſt*, inquit enim Mercurialis, quod ad ſalvandum Serapem, ne in duplicem Abſceſſum incideret, utilia admodum veſicantia fuiſſent, quod ſi fluxus malignus judicaretur, decocto radicis Tormentillae, & C. C. Electuario Dia-

Diafcordii Fracaftorii, cum Belzoar occidentali utebar, frequenter etiam frictionibus cum unctione Aaetii Dorfo ad materiae vitiofae derivationem factis. Quod vero ad diaetam attinet, cum Hippocrates doceat, quod *Medicamentum in alimento optimum fit*, cibum talem in ufum revocabam, qui laborantibus praefidio quoque effet; itaque cibum parabam in decocto Capitis Vervacini, & vitullini, & pedum etiam ejusdem, hordeum etiam ex lacte coctum pro cibo faepius erat, nec non etiam ova recentia forbilia & morbi cruciatibus, & cibi indigentiae fuccurrebant. Gelatina quoque C. C. cum radic. Tormentillae ex Aquis appropriatis parata, aut cum panatella, ut dicunt, aut cum hordeo generofe, & frequenter commifcebatur, neque minorem attentionem, diligentiamque in clyfterum ufu adhibebam, nam fi egeftio biliofa effet, vel fero lactis, vel ex decocto capitis vervecini, vel Aqua fimplici, vel ex Aqua hordeata cum melle fimplici parabantur clyfteres, fi excretio ex toto cruenta fieret, ablutiones ex decoctione fummitatum hyperic. plantaginis, polygoni, verbasci, Rofar. rubrar. addito diafcordio, & Thebeb. vitello ovorum diffoluta adhibebantur; fi mucofa & ftercorea fimul effet evacuatio, tunc clyfteribus ufus fum evacuatio, tunc clyfteribus ufus fum evacuantibus ex decoctione Mercurialis, malvarum Altheae cum faccharo rubro, & fymp. Rofarum folutivo; fi vero fanioſi aliquid in excretionibus & mucofi confpiceretur, tunc feliciter ufum fum decoctione hordei cum melle Rofaceo, & vitellis ovorum addita radice hippecuacannae pulverizata ad pondus ℈ ii., quorum clyfterum ufu alternis diebus infiftebam, licet aegri magna agitatione ftatim poft eorum appofitionem afficerentur, cum pofte a levatio fumma oriebatur. Anodyni quoque dem

clyſteres in maximis inteſtinorum cruciatibus, & quidem ex ſimplici lacte cum vitellis ovorum in uſum revocabantur, ſed cum obſervaſſem, lac intra inteſtinorum cavitatem ob ſummum calorem coagulari, nec niſi momento temporis prodeſſe, vel ab eorum uſu me abſtinebam, vel ſtatim poſt eorum poſitionem alio ex decoctione hordei cum melle Roſaceo utebar, ne lactis coagulum acore ſuo humorum malignitatem adaugeret, & potius in aegrotantis damnum, quam emolumentum ex lacte parati clyſteres adhiberentur. Quod ſi in longum nimis protraherentur dyſenteriae ipſis clyſteribus adſtringentibus, & roborantibus modicum vini addebam, quod ſępe etiam cum aegrotantium fructu a me factum fuit, hoc tamen perpetuo in clyſterum uſu obſervari vellem, quod ſi dyſenterico fluxui dolor, aut calor haemorrhoidum jungatur, ab eorum poſitione praeſtet potius abſtinere, quam in his adhibendis obſtinate perſiſtere, ne majori illa irritatione inflammatio quoque in illis partibus excitetur, ita per totum hujus epidemicae conſtitutionis, quae ad finem usque Octobris perduravit, curſum me geſſi, & quidem ſancte affirmare poſſum, quod intra plus quam ſexaginta dyſentericos, qui meae curae, & vigilantiae demandati ſunt, duo tantum ſenes octogenarius unus, ſeptuagenarius alter extremos dies obierunt, in quibus obſervavi inutiles clyſterum uſus fuiſſe, cum ſtatim ab eorum ingeſtione redderentur, ex quo etiam praedicere ſolebam adſtantibus dyſenteriam in inflammationem, & inde in abſceſſum degeneraſſe, unde ob cancraenismum, & ſphacelum incurabiles excrementis jam foetidis, & cadaveroſis exeuntibus reddebantur, ſed in viam ex utili digreſſione redeamus. Tranſeunt in abſceſſum dyſenteriae vel inteſtinorum, vel excitata pleuritide in ſuperioribus partibus, pulmonis nempe, & pleurae, vel in articulis, & aliis cor-

poris partibus, cum doceat Hippocrates in Proretico, *dysenteria, quae intempestive sistitur, abscessum facit, vel in lateribus & visceribus, vel in articulis, at biliosa quidem in articulis, cruenta autem in lateribus, & visceribus.* Cavendum igitur est, ne intempestivo adstringentium medicamentorum usu intra fluidorum massam aliqua dysenterici fluxus portio sistatur, nam inemendabiles noxae inde oriuntur, nam praeter superius enarrata incommoda aliquando etiam oriuntur post aures pustulae quaedam nigrae orobo similes, quae ut plurimum funestae sunt; quod si materia illa dysenterica ad caput feratur, vel melancholiam, vel epilepsiam, vel etiam insaniam potest producere, uti etiam in ophthalmiam quandoque transire ob maximum quam inter se habent oculi, & intestina consensum, de quibus transmutationibus loquitur Galenus de venae sectione adversus Erasistratum Cap. 6. narrat etiam Hollerius comm. ad aphor. 30. lib. 6. sect. 2. Coac. ex dysenteria materia ad manum conserva foedam, densamque scabiem leprae persimilem excitatam fuisse. Difficultas vero deglutiendi facile ex dysenterico fluxu emanat, tum ob irritationem solidorum ejusdem naturae, tum ob partium resiccationem ex nimia humidi consummatione productam. Dysenteriae Lienteria etiam succedit, quia laesis transitu humorum vitiosorum intestinis, ventriculi etiam temperies naturalis per consensum debilitatur, unde chylus crudus dejicitur, qui cum non possit amplius detineri, atque elaborari ob intestinorum laesionem, non in partium reparatione per lactea vasa, sed per inferiores partes demandatur, hydrops tandem uti omnibus longis fluxibus dysenteriae succedit; cum enim per continuum abibilium humorum fluxum a naturali suo tono distrahatur fluidorum massa, in dyscrasiam serosam transit, unde postea per corporis circumferentiam serum detine-

tinetur, atque hydropem producit. Tandem asserit Baglivus Capit. de morborum successionibus dysenteriam se bis mutatam vidisse in ulcera pedum, & manuum foeda, & in quartanam diuturnam.

CAPUT XI.

De morbis, qui ex Lienis morbo nascuntur.

Cum ex Hippocrate Lien spongiforme sit viscus, & ex membranosis cellulis, & concamerationibus, ut docet Malpighius, efformatum, quacunque levi de caussa ab humoribus viscidis glutinosis, tartareis obstruitur, & e molli durum evadit; hinc ex illa obstructione multi, atque gravissimi morbi oriuntur; & quidem e lienis augmento comprimuntur lymphatica vasa, quae multiplici propagatione illius circumferentiam sub prima lienis membrana excurrunt, suisque conspicuis truncis circa sanguinea vasa hoc viscus ingredientia ludunt, unde humor lymphaticus mangna in copia collectus quaquaversum inundat, & aliquando etiam irrumpit intra abdominis cavitatem, atque hydropem Ascitem producit curatu difficillimum, nonnunquam in pedibus tantum putrescit, ibique oedema gignit dissipatis spiritibus.

Tanti vero seri limosum tartarum in lienis fibroso textu detinetur, ut ex illo veluti ex lernaea palude tot Malorum Ilias se se diffundat in totius corporis partes, primo quidem maculae visuntur ceruleae, fuscae nigricantesque, & per areas cutem deturpantes instar suffusionum. Porro illae acoris soboles sunt, qui muriaticam naturam induit, atque ut pestilens, & perniciale virus ita quandoque invalescit, & ferocius grassatur, ut scorbuticam labem

viſceribus aſpergat, hinc tibiarum quandoque ulcera parva quidem, ſed rebellantia ſe ſe produnt. Hinc aures ipſae roduntur, & foetorem emittunt, imo gingivae fiunt roſionis, fœtoriſque participes, denteſque ſuos denudant brevi vacillaturos. Altius adhuc evecto vitio navium vaſa recluduntur, & haemorrhagiae moventur enormes, quae vitiatam ſunguinis craſim oſtendunt, quandoque infima trunci vaſa in varices aſſurgunt acribus particulis ſalino fixis, turgeſcentia; quae ab illa acredine quandoque etiam ita eroduntur, ut fluant eruptionis inſtar e naribus ſummis, & quidem omine ſiniſtro, ubi ſanguis ardens erumpit, tabidi etiam lienoſi fiunt ob acrem illum hoſtem, quem ita fugiunt partes, ut vere macreſcant nutrimenti defectu, in omnibus vero lienoſis corporis univerſi floridus color, atque vivax funditus perit, & fedus per univerſam cutem exurgit; nam *qui viret in foliis venit a radicibus humor.* Aliquando ita nigrore ſanguinem acidum illud teterrimum ſuffundit, ut nigram morphaeam producat; quo univerſa cutis aethiopicum colorem una cum oculis plumbeis inducit, ex ipſo etiam Liene, tam foedo tartaro ſcatente veluti ex aheno tinctorio urinae atrae eliciendae ſunt, quae Galeno, Avicennae, Actuario, & aliis colliquati ſplenis fideles ſunt internuntiae, ut contigit Herophonti, Nicodemo, Metoni, Heropytho, & Epicratis uxori, qui ſinguli nigris urinis tartarum ſuum caldarium ſalubriter exhauſerunt. Aliquando etiam a magna illa Lienis obſtructione, & extenſione hepar comprimitur, biliſque majori in copia quam par eſt violenter excluditur, unde lienoſis etiam Icterus ſupervenit, qui ex bile intra inteſtinorum cavitates collecta dependet, ut in nobili juvene Patritio multis ab hinc annis obſervavi, qui ad duas, vel etiam ad tres libras flavam bilem ex lienis augmento evomebat. Niger etiam Icte-

rus

rus Lienosis supervenit cum maxima oculorum, & totius corporis circumferentiae foeditate, urinis nigris, vigiliis, & febri lentae conjunctus. Id vero evenire ratione officii opinor. Nam cum Lien in Epatis officium conspiret, affecto Liene, [bilis secretio in illo glanduloso corpore perfici non potest, unde bilis a calore sanguinis aduritur, & in atram vertitur, unde postea originem suam trahit Icterus niger, qui rhabarb. cum sero Tamarindat., & decoctione quinque radicum aperientium curatur, ut saepe in aegris meis observavi. Fluxus etiam Melancholicus ex splenis obstructione ob rationem supra expositam nonnumquam suboritur, ut notat etiam Forestus obser. 13. lib. 22. Tom. 3. pag. 60. Quandoque dolor Capitis ipsos lienis morbos consequitur, ut de Muliere melancholia narrat idem Forestes obser. 40. lib. 9. nam in hypochondrio sinistro dolebat, & in parte capitis sinistra, cum & haec febricitare videretur anno 1566. mense Octobris, cum ad eam arcessitus esset post decoctum sennae, parietariae, scolop. ceterach., capil. vener. polytr. violar. Fumar. ab eadem febre liberata est; & dolor, quo longo tempore antea laboraverat, etiam nunc post febrem sanatam perdurat, & potissimum sumpto cibo augetur, ita ut is procul dubio per consensum a Liene fiat. Non tantum vero capitis dolor in splenicis per consensum excitatur, sed etiam ex serosa acida colluvie in cerebri gyros influente, quae piam matrem dentata feritate sua mordet, idem dolor promovetur.

A Liene turgido quandoque etiam comitialis morbus oriri potest, ut narrat Nicolas Tulpius observ. Med. lib. 1. Lien, inquit, a turgido hoc atrae bilis fermento jam tumidus diffudit illico ex se vapores cerebro tam inimicos, ut juvenis protinus concideret

in vehementiſſimos morbi comitialis inſultus excitatos non tantum a cauſſa interna, ſed ſubinde quoque ab externa, nam preſſa, vel ſolo digito, regione lienis contrahebantur illico omnes nervi, & ſequebatur confeſtim miſerabilis univerſi corporis diſtentio, laedens internis ſuis circuitibus usque eo mentem jam aliquoties labefactatam, & praecipue vim imaginatricem, ut crederet ſe neſcio quem Regem, diſtribueretque non minus largiter qualiacumque munera; imo integras regiones, ac ſi revera rerum potitus fuiſſet, inſidente ipſi hac conceptae majeſtatis opinione adeo profunda, ut ſumme excandeſceret, corriperetuque graviſſima epilepſia, ſi quis majeſtatis oblitus ipſum compellaſſet nomine uſitato.

Neque hic deſinit malorum ſeries, quae lienoſis ſupervenit, ſunt etiam mala, & quidem majora, quae ipſis jure vicinitatis, quam cum diaphragmate, corde, pulmone, ventriculo, & inteſtinis lien habet, ſuccedunt.

Et primum ob diaphragmatis, & pulmonum vicinitatem ſpiritus anhelus, vel ab ipſis veterinariis jam olim notatus, & levi momento longe gravior evenit; ob cordis vero per arteriarum propagationem cum liene coniunctionem palpitatio multoties ſuboritur, nam cor concutitur, atque ſubſilit, ubi vaſa ſubſultim ad illud aſſurgunt, ſicuti enim rapidi fluminis fluxu repreſſo tumescunt aquae multo cum tumultu, ita hic ſanguinis cohibito motu tumefiunt vaſa, atque commoventur, & illis turgentibus atque concuſſis totum cor exagitatur, & impendio convellitur, quin imo Lien ipſe, ſed raro pulſat, & pectus tundit, ac ſeditionem veluti facit occupando praecordia, quod tamen bis tantum obſervare contigit per totum quodeviginti annorum curſum, quo hanc medendi artem exerceo.

Quod

Quod vero ad ventriculum attinet digeſtivi ſucci ita ab illa preſſione alterantur, ut digeſtio nullo modo perfici poſſit, hinc ex ſuccorum, & recrementorum nutrientium ciborum impura commixtione aliquando intra ventriculi cavitatem ſucci generantur glutinoſi, & torpidi, ex quibus inappetentia producitur, febres intermittentes, febres continuae, & niger vomitus, quem mors ſubſequitur, aliquando ſalini acres, & corroſivi, quibus cardialgia, ſtomachi ardores, morſus, & ſimilia generantur, aliquando vitriolati acidi, unde ructus, bulimia, & canina, & lupina appetentia, quibus etiam ſuccis tartareis, ſalinis, vitriolatis, arſenicalibus tota fluidorum maſſa foedatur, ut aliquando etiam corroſivi ſales ad cutem ferantur, & ulcera corroſiva producant, ut notavi in muliere Veronenſi, cui ex Lienis magna duritie ortum eſt ulcus in pede corroſivum, inde febris lenta, & poſtea tabes, ex qua tandem confecta eſt. Ex ſtomachi etiam affectionibus inteſtina aliquando afficiuntur, qua de cauſſa ex Lienis compreſſione, & ex illa ſuccorum cachochilia, dyſenteria naſcitur, de qua Hippocrates in Prorretico loquutus eſt. *Dyſenteria lienoſis non longa quidem utilis, longa vero peſtifera, nam quiescente illa, ſi vel hydropes veniant, vel etiam lienteria, mortiferum.* Aliquando lienale carcinoma ſubiectum colom arrodit, & tabum lethiferum in inteſtina fundit, quale in Abdomen effuſum Ballonius notat. Tandem ipſi Lienis morbi in alios lienis tranſeunt. Lienis obſtructiones in ipſius visceris indurationes degenerant, & ipſas indurationes ſcirrhoſi tumores excipiunt, unde aegroti e ſubſplenicis fiunt ſplenici, e ſplenicis, e tandem lugenda metamorphoſi toti fiunt Lienes nullis medicamentis ſanandi.

Sed cum hisce noſtris in regionibus aer craſſus ſit, ſtatariae aquae, vinum acidum, & piſces non

 boni

boni ſucci ſint, fluidorum craſis ita viscidis, ita ramuloſis ſcatet particulas, in Lienale reticulum impingentes ab eo non aegrius irretiantur, quam pisciculi maculis denſioribus. Hic notandum pro coronide eſt, quod cum in morbis popularibus frequenter aut in lienoſos, aut in eos morbos, qui ex lienis morbis proveniunt, incidamus, poſtulat ſolertia medica, ut totos nervos in explorandis hypochondriis intendamus; facile enim tunc erit auxiliares manus aegris porrigere, detecta origine, ex qua tot morborum Iliades promanant. Juvant autem Lienoſos medicamenta *mochlia*, hoc eſt mole parva, effectu magna, quibus ſeroſa colluvies acrius concitata, fecem omnem ſicciorem largius proluat; juvat etiam eosdem ſiniſtrae cubiti venae ſectio ad ſeroſum colluviem eliminandam, diuretica, hydrotica, & chalybe parata paſſim uſurpanda veniunt medicamenta. Lac quoque aſininum, & eiusdem ſerum, uti etiam urina humana mirifice prodeſt Lienoſis.

Inter coetera vero Medicamenta, cum altius morbus agat radices, valet ad acidum muriaticum incidendum, ad ramuloſas ſanguinis particulas diſſipandas: Aqua ex calce viva parata, praecipue ſi in hydropicam, vel in ſcorbuticam, vel in asmathicam affectionem propenſi ſint.

CAPUT XII.

De morbis, qui a hypochondriacos afficiunt.

Proximum eſt, ut de morbis dicamus, qui hypochondriaco affectui ſuperveniunt, qui neque numero ſunt parvi, neque magnitudine leves, cum enim ex illo

illo affectu particulis salinis extraneis oneretur chylus, tota cruoris massa ab ipso primum deturpatur, mox vero ex illa tamquam ex fonte rivuli etiam alii succi coinquinantur, uti sunt succus nerveus, succus lymphaticus, bilis, saliva, aliique, unde inter prima mala scorbutus, febris continua lenta, ptyalismus, vertigines, epilepsia, melancholia, & dolores partium externarum oriuntur. Et quidem cum haec affectio pertinax redditur, discrasia acida acris in fluidorum massa constituitur, unde necessario scorbutus consequitur. Primum igitur debet medicus ad talem successionem impediendam in pertinaci, & rebelli hypochondriaco affectu antipochondriacis, & antispasmodicis remediis antiscorbutica commiscere, ad quod consequendum conferunt succi depurati boraginis, fumariae, acetosae, cochleariae, serum, tinctura chalybis, antimonii nitrata, decoctiones salsae parillae, cum sumitatibus Pini, Aridulae, lac Asininum, & similia. Aliquando vero ex hoc affectu intra venosum genus introducto febris ipsa, & quidem acuta lenta continua accenditur, quae non nisi refrigerantibus, sero Tamarindato, Emulsionibus, Ipnocticis, Flor. Cas. rec. extract. apertione venarum sedalium cedit. Quandoque etiam ex illa fluidorum alteratione in glandulosis hepatis acinis bilis secretio impeditur, unde febris cronica ferneliana excitatur, quae tartareis, hepaticis, Rhabarbarinis, syrupo ferneliano, & Aqua nucerina, cum Tinctura chalybis ad plures hebdomodas sumpta curatur. Neque tantum ex hac affectione bilis in hepate secretio impeditur, verum etiam obstructiones pertinaces in liene, in mesenterio, in utero producuntur, unde in aliis cachexia, in aliis menstruorum suppressio, & hysterica affectio excitatur, quae sanguinis missione ex pede, & seda-

 lium

lium venarum apertione, utpote quae proxime humores noxios ex utero derivat, aliquando curatur, nec non etiam acidulis, & equitatione, ut ſuperius etiam innuimus.

At non ſanguis tantum ex hypochondriaco affectu alteratur, & coinquinatur, verum etiam lympha ipſa acida acris redditur, unde dyscraſiae ſcorbuticae in ipſam introductae aliquando ptyalismus ſuccedit, qui gingivas, glandulasque corrodendo, veluti ulcera, & naphthas in ore producit vitriolicam naturam nanciſcens. Id obſervavi in Reverendo Patre Pio Ordinis Praedicatorum, qui ex affectu hypochondriaco incidit in dyscraſiam lymphaticam adeo copioſam, ut unius diei ſpatio ad duas usque libras ptyalimo lympham per os excerneret, tanquam aliquis qui mercurium ſumpſiſſet; hanc tamen dyscraſiam de medio ſuſtulit praedeceſſor meus, & Praeceptor Joſeph Panzani diluentibus, antiſcorbuticis, & decoct. Sarſae parillae, & ligni lentisci menſis ſpatio quotidie praeſtitis. Non ſemper tamen ptyalimus lymphaticus ex effectu hypochondriaco genitus per glandulas oris ſecernitur, verum etiam ex ventriculo, & tunc ut plurimum vel a prandio, vel a coena cum ſingultu ſuccedit, ut anno praeterito adnotavi in nobili Cive, & Patrono meo. Hic enim poſt vehemens animi pathema vel ſtatim a prandio, vel poſt coenam ſpatio dimidii horae per os libram unam lymphae lucidae, & ovorum albumini ſimillimae ſingulis diebus comitante ſingultu excernebat, quem tamen feliciter uſu radicis hippecuacannae curavi. Producuntur etiam aliquando ab hac lympha acri, & vitriolica dolores vagi externarum partium, qui tamen longo uſu ſeri Caprini, decoctionis Salſae parillae, pilularum de Succino Cratonis, & aliorum facile curantur, ſed ob maximum conſenſum, quem hypochondriacae partes

cum

cum capite ab nervorum propagatione productum hypochondriaci vertiginoſi, & ut dicebat etiam Hippocrates, epileptici fiunt, & ab aduſtione bilis in atram bilem converſae, melancholici etiam aliquando evadunt ob maximam impreſſionem, quam talis humor jam animalibus ſpiritibus, ut dicebat Galenus, nebuloſis factis, in cerebro producit; quae tamen impreſſio ob rebellem peccantis humoris pertinaciam, quae difficulter diſſolvitur, & ob ſolidorum a fixa in aliquo objecto imaginatione torporem difficilis loturae eſt, cum viderim aliquos putantes ſe toxico male affectos, alios ſe brevi morituros, alios absque pulmonibus vivere, quibus tamen omnibus medetur copioſa ſanguinis evacuatio, ſucci herbarum, ſerum caprinum, Tamarindinatum, & ſub dio expoſitum, & copioſe ſumptum, Pilulae de Succin. Cratonis, de tribus Mercurialis etiam Lemery, & lac cum ſapone veneto ſumptum. Valent etiam quam plurimum pro vertiginoſa, & Epileptica diſpoſitione ab hypochondriis producta Balnea, & Aquae Thermales, vulgo dictae, *Bagni della Pieve Foſciana in Grafagnana*, uti expertus ſum in Patre Divi Franciſci, qui mihi annis elapſis illarum Aquarum deſcriptionem, in doctiſſima ſchedula exaratam a ſolerti Practico Jacob Zavelli transmiſſam, retulit.

CAPUT XIII.

De morbis, quos hyſterica affectio producit.

Quae in hominibus affectui hypochondriaco ſuccedunt mala, eadem in mulieribus affectum hyſtericum conſequuntur, cum enim ſanguinis craſis debilis ſit, ſecre-

ſecretiones, quae in uteri, & meſenterii glandulis fiunt, minime perficiuntur; dicebat Hippocrates, *ex ſanguinis perverſione totius omnino corporis ſubverſiones contingunt.* Qua de cauſſa ſegnitie quadam, & lentore humores in illis partibus acritatem, & mordacitatem nanciſcuntur, ganglos, & membranoſas partes ita irritantem, ut nervei ſucci in irregulares motus excitentur. Quod ſi hic inordinatus ſucci-nervei motus intra ſiſtema nervoſum ſolummodo exerceatur, hyſtericae paſſioni ſupervenire poſſunt per quandam propagationem capitis dolores, convulſiones, epilepſia, Apoplexia, Paralyſis, Melancholia, Dementia, & Stupores. Si vero in internas viscerum partes ſe ferat, tunc hypogaſtrii, lumborum, inteſtinorum, & ventriculi dolores, ex quibus tabes, cordis palpitatio, viscerum perturbationes, tuſſes pertinaces, anhelitus difficultas, anorexia, & vomitiones ſuccedunt. Quod ſi vero in ſiſtema venoſum feratur haec paſſio, febres lentae ſerotinae longae, quandoque ephimera, nonnumquam tabidae illam excipiunt, tandem etiam in partes externas vertitur uteri affectio, & ex illa dorſi, Renum, & mamillarum dolores, faciei rubores, pedum tumores aliarumque partium ſuboriuntur, ex quibus omnibus patet *uterum omnium morborum fontem, & originem eſſe.* Ex Thom. Villiſio de morbis convulſivis capit. 10. habetur hiſtoria de perilluſtri quadam muliere, quae ex affectibus hyſtericis ſpasmodicis in capitis dolorem, & gravitatem inſignem incidit, & ex dolore, & gravitate in Apoplexiam cito lethalem tranſiit. Inter ceteras affectiones, quas vidi paſſioni hyſtericae ſupervenire illa tandem mihi videtur notatu digna, quae Nobili Matronae Roccatae paucis ab hinc diebus ſupervenit, eſt illa quidem Mulier boni coloris, & nutrimenti, ac licet ſeptuageſimum aetatis an-

num

num attigerit ita fervidi ſanguinis, ita ſucci nervei, volatilis, ita calidae, & acris naturae eſt, & fibrillarum ſenſitivarum locuples, ut vel accedente odore quopiam, aut propinato vel leviſſimo medicamento ſtatim in convulſivos motus incurrat. Incidit Aprilis menſe in Apoplexiam, quae poſtea in Emiplegiam converſa eſt immuni relicto motu, toto tamen ſenſu per totam dimidiam corporis partem a ſummo vertice capitis ad pedes usque amiſſo. Per repetitas ſanguinis miſſiones, per cucurbitulas affectae parti appoſitas, per frictiones, per uſum continuum decoctionis ligni visci Quercini, per repitas de Succino Cratonis pilulas tandem recepit ſenſum, relicto tamen in femore, & pede affectae partis veluti cingulo ſubjectas partes continuo contorquente. Apud Joannem Riolanum Antopograph. lib. 5. legitur de foemina, quae cum diu crebris, & multipliciter affectibus hyſtericis vexaretur, tandem in delirium melancholicum delapſa eſt. Ex Johanne Nicol. Beningero obſ. 90. centur. 2. duo habentur hiſtoriae de foeminis, quibus ex hiſtericis affectionibus ſuborti ſunt in hypogaſtrio, & in lumbis immanes dolores, quae illas ad Tabem perduxerunt.

Henricus Smetius Miſcell. lib. 40. Epiſtol. 1. narrat de Virgine annos nata 22., quae ex paroxismis hyſtericis incidit, in frequentes lypothimias, & ex his in dementiam, quibus tandem duplici febri putrida ſcilicet, & tabida vitam cum morte commutavit. Vidi & ego nobilem quandam Rodigenſem, quae ex effectibus hyſtericis lymphaticam febrim ſub horis ſerotinis quotidie ad plures annos patiebatur. Uti etiam alteram nobilem Comitiſſam Patavinam, cui in cruribus rubei quidam tumores dolentes ex utero excitabantur, numquam finis fieret ſi vellem omnes ſucceſſiones morborum, quae ex hoc forte ſuboriuntur,

tur, percenſere. Omnibus vero hisce affectionibus ſecundum anni tempus, aetatem, naturam, & affectionis magnitudinem ſuccurrunt caſſia, venae ſectio, chalybeata, ſerum Lactis, Lac ipſum, Balnea, Aquae Thermales, exercitatio, equitatio, & Muſica. Sed Lectores hic mei ſunt admonendi, hos morbos aliquando oriri primo illo permanente morbo, ex quo emanant, aliquando vero toto illo diſſoluto, quod ſi fiant permanente adhuc primo illo morbo, praeter ſuperius allata remedia, eſt etiam ad decoctiones ſalſae parillae, & herbarum antescorbuticarum, & ad cauteria confugiendum.

CAPUT XIV.

De Morbis qui ex variolis gignuntur.

Duplex morborum genus ex variolarum morbis provenit, alterum ex earumdem magnitudine, & ſaevitia; alterum ex earumdem reliquiis intra cruoris maſſam delitescentibus. Primum quidem tunc tandem ortum ſuum ducit, cum morbi violentia tam magna, atque vehemens eſt, ut bonam viſcerum temperiem in depravatam inteperiem commutandi vim habeat. Ita videmus ſaepe, qui variolis praecipue confluentibus correpti ſunt, non raro naturam ſuam commutare, bonamque cerebri temperiem nimia exſiccatione pervertere, ut mihi in nobili Comite Cumeno obſervare datum eſt, qui optima cerebri temperie donatus poſt ſaevas variolas ita ſtupidus evaſit, ut nunquam priſtinam cerebri claritatem adeptus fuerit.

Juvat etiam hic referre, quae Fabricius Hildanus lib. 6. obſer. 82. hac de eadem re recenſet, ſi variolae, inquit, ſint malignae, natura vero in ejusmodi te-

di tenellis non robusta sit, & illa in expellendo medicamentis convenienter adjuvantibus destituatur, necessum est, ut crisis fiat imperfecta, & aliquid vitiosi remaneat; quod si in partem nobilem feratur, gravia inducit symptomata, & saepius mortem ipsam, ut ex hac mea observatione videre licet. Lanii cujusdam filia 3. annorum post variolas, (etsi nulla adhibita medicamenta,) superatas in maniam incidebat, mordebat, quando potuit parentes, & adstantes, diris illos devovebat, in faciem expuebat, & ita furebat ut vix in lecto detineri potuerit. Durabat id malum ad finem tertiae septimanae, nihil interim de cibo, aut medicamentis assumebat, praeter unicum, quo delectabatur, julapium, & in hoc statu mortua est. Alterum vero tunc demum producitur, cum semina variolarum tubercula non bene eliminata cruoris fontem adhuc inficiunt, qui inde plurium morborum ipsis variolis supervenientium origo est. Siquidem morbosae reliquiae, aut propria natura, aut medicorum incuria non bene subactae, lentam sanguinis febrilem excitant effervescentiam, quae nisi diluentibus, refrigerantibus, contemperantibus vincatur, in tabidam degenerat febrim, aegrotosque ad ultimum vitae discrimen perducit. At febris, quae variolis supervenit, facile tollitur alvo fusa, ut notat doctissimus Freind, & ego tandem experientia doctus didici; nam cum ea, quae variolis supervenit febris, inde exoriatur, quia per cutim exire debebat materies morbosa, in sanguine restet, veramque in venis incalescentiam excitet, reliquum est, ut cum exire per cutaneos poros ea non sit apta, per alteram viam secessum nempe, aut natura, aut arte ducatur. Aliquando etiam eaedem illae vitiosae malignae, & venenatae indolis reliquiae in articulorum abscessus perveruntur, atque inde perio-

periostia, ossaque ipsa in consensum trahunt, sphacelumque in ipsis inducunt, unde insanabilis corruptio nonnunquam observatur, quae non nisi ossium extractione sanatur; sed ita affecti, ut plurimum inter nigras exostoses, & exedentes, & fetidas Grangraenas animam brevi efflant. In internas etiam partes Abscessus ipsi interdum recedunt, atque in illis longas, difficiles diarrhaeas, aut dysenterias producunt, in quibus solertia Medici maxime requiritur ad ultimum, funestumque diem evitandum; quod aliquando vel solo lactis usu chalybeati, vel nullis adhibitis medicamentis consequimur; tali namque in casu adstringentibus minime uti debet Medicus, ut anno praeterito in duobus aegrotis meis observavi.

Assurgunt etiam abscessus isti quandoque in Parotides, qui tamen fotibus, emplastris, cathaphasmate, spiritu vini, camphora, & croco parato feliciter tolluntur. Pari ratione post variolas desquammatas in pedibus, & manibus, atque saepe numero quaquaversum in tota cutis circumferentia forunculi excitantur, qui praeterea in virulenta, & mali moris ulcera desinunt, quo in casu spiritus Alexipharmacis erigendi, & venenum Antidotis febrifugis delendum, antequam Alvus subducatur, vel quaecunque alia evacuatio indicata tuto, & cum fructu celebrari possit.

Uti etiam in ipsis variolarum stadiis aliquando, cum maxime venenata materies per exanthemata imperfecte producitur, ad oculos ichores maligni demandantur, ex quibus perennis lympha acris in tunica adnata, & palpebris ipsis emanat; qua tota oculorum orbitas debilitata non tantum contumacibus opthalmiis subjacet, verum etiam grandine nubeculis, & ipsa etiam cecitate; his vero medetur decoctio se-

feminum fumac, croci, & rofarum rubrarum in aqua Plantaginis parata, veficantibus etiam parvis ad aures appofitis. Eadem ipfa ferofa colluvies quandoque in tra heae glandulas bronchialesque ipfas pulmonis veficulas confluit & tuffim ficcam, moleftamque producit, quae venae fectione, decoctione abftergenti, & pectorali, fyrupp. Balfamic. Laud. liquid. & fimilibus, antequam in exitialem, nullisque remediis fanandam tabem deveniat, tempeftive tollenda eft. Nonnumquam maiori in copia ad tonfilares, & faucium glandulas depluit, & perennis ptyalimi origo fit; & quandoque etiam in partes corporis extremas adeo copiofe emittitur, ut eae ferofo latice inibi congeftae, atque auctae fupra modum intumefcant; quo in cafu frictionibus validis, & fotibus lixivialibus faltem bis in die praeftitis lympham coagulatam attenuare, partium vigorem reftituere, pharmacis hydragogis fortioribus, & diureticis etiam efficatiffimis ferofum laticem per utrasque vias derivare, & tandem chalybe paratis medicamentis debilitatem fibrarum tollere, ftudeat oportet fagax Medicus, ne vel hydropi, vel aliis cronicis infirmitatibus anfam praebeant.

CAPUT XV.

De Arthritide fuccedente, & migrante.

Arthritis virorum, & magnatum martyrium, & ex plurimis fuccedit morbis, & in plurimos etiam morbos, per quandam, ut plurimum, propagationem, primigenio adhuc permanente, migrat.

Et quidem ex morbis fuccedit Arthritis, praecipue ut ait Hippocrates, *cum morbum quidem efficiens fanatur, in carne vero quid relictum fuerit, cui non datur exitus neque intro, neque foras, fed ad cutim*

 tuber-

tuberculum effecerit, ac egrediens fugit in id, quod cedit articulos scilicet, atque vel articulorum, vel coxendicum morbos affert. Morbi autem, ex quibus Arthritis succedit, sunt Reumatismus, chlorosis, hydrops, melancholia, scorbutus, Lues venerea, Asthma, febris, colica, & nonnulli alii.

Et primum Rheumatismo succedit Arthritis, cum materia ipsa in partes confluens, ac Reumatismum producens magis serosa, pertinax, & viscida fit, unde juncturas obstruit, & earum cutim in tumores elevat. Quo in casu praeter purgantia, aut emetica medicamenta Antiscorbutica, oleum terebinthinum intus, & foris, spiritus C. C. urinae; Sal Armon. Camphora, & Mercurius ipse veniunt usurpanda.

Ex chlorosi succedit Arthritis, cum ipsa illa materia, quae per uterum expurgari debebat in artus hinc inde subsultando peragrans dolore pungenti & rodente gravans aliquando articulis inhaeret, & affixa manet; ad quam vincendam deobstruentia aptissime cum emmenagogis copulata, vel artificiose interposita, fructum ingentem, messem amplissimam pollicentur. Ex marte vero parata medicamenta apto vehiculo praestita, cum opportuna catharticorum intercalatione tum chlorosi, tum arthritidi simul adversantur.

Hydropem aliquando excipit Arthritis, non illum quidem, qui ab aliqua indomita labe productus insanabilis est, sed illum, qui salvis visceribus, aut parum lcsis a mala sanguinis crasi, ejusque malo habitu ducit originem, & tunc praecipue evenit, cum in sanando hydrope amaris, & chalybe paratis medicamentis ad corrigendum sanguinem, eumque roborandum utimur; dumque in his insistimus praesidiis digestiones, & concoctiones promoventur, materia ex sanguine aliena extruditur, & ad articulos amandatur, ibique Arthri-

Arthritidem producit. Haec vero Arthritis potius augeri a medico debet, quam ſanari, cum bono omine hoc in caſu ſemper ſuperveniat.

In melancholicis vitio ſtomachi vitriolica, & ſalina materies producta, inque cruoris maſſam elata, ibique ob ejusdem ſanguinis debilitatam craſſim non bene ſubacta ad articulos rejicitur, ac proinde Arthritis melancholiae ſupervenit; pro cujus curatione ad catharſim promovendam pilulae de ſuccino Cratonis in uſum ſunt revocandae, uti etiam Aquae Thermales, chalibe parata medicamenta, infuſum The Aqua pluvia comparatum, & lac, minime ſunt apto tempore negligenda.

In ſcorbuto donec extraneum acre ſanguinis maſſam inquinans per ſalivarias glandulas, cutisque miliares ſecernitur, unde in ſcorbuto & oris, & cutis ſymptomata apparent, morbus ille intra ſuos limites detinetur; ſi vero per quandam propagationem, & extenſionem acris, corruptusque humor etiam per glandulas extremitatum articulares ſecernatur, atque articulos invadat, doloremque cum tumore inferat, tunc ſcorbuto ſupervenit Arthritis, quae ut plurimum in affectis localem motum impedit, atque in mala ſaepe migrat graviora. Praeter univerſalia, & mercurialia medicamenta valet mixtura ſucci cochleariae, cum ſucco limonum parata, cum qua ſumenda ſunt nonnulla ſalis martis grana; quae tamen mixtura ad cochlear unum mane ſingulis diebus cum decoctione Fumariae, Agrimoniae, Beccabungiae, Naſturtii aquatici in ſero caprino facta praebenda eſt; cujus etiam uſui ſeptimo quoque die vel ſolutio chatartica, vel pilulae Tartareae Bontii, vel ſtomatich. ſunt interponendae. Aquae ferratae ſunt pariter aeſtivo tempore uſurpandae, uti etiam lac maximo uſui eſſe poteſt autumni tempore.

In luce celtica donec miasma venereum motu sanguinis non minus intestino, quam periodico intimius cum fluidis commiscetur, tunc nullum de se praebet indicium; at debilitata, & fracta natura, & everso fluidorum tono in medium prodit Lues ista, atque ad articulos dolores excitat, & Arthritidem molitur. Ad hanc Arthritidem curandam valent decoctiones lignorum, & salivationes per mercurium factae. Quod si vero salivatio per mercurium facta e radicibus non evellat morbum; ad cathartica mercuriali est confugiendum, nam quod fieri non potuit per salivationem, per sedem facile, ut observavi obtinetur.

Succedit nonnumquam Asthmati Arthritis, cum materia serosa, vel pituitosa pulmonis bronchia infarciens, atque anhelitus difficultatem producens, vel ad articulos demittitur, vel per universum corporis ambitum ita succrescit, ut praeter pulmonem etiam externas partes invadat, prima vero harum successionum juvat aegros, secunda non sine patientis ruina contingit, decoctiones amarae, conserv. Abscinth. Pulveres radicis Ari, Gummi Ammoniacum, Bdellii, Flores Bezoin, extract. croc. Balsam. Lucatelli, Aqu. composita Bryon., decoct. Pectorales, & Erysimi; chalybe quoque parata medicamenta apto tempore revocari in usum possunt, uti etiam equitatio, & ambulatio in regionem apertam, & ventilatam.

Febri quoque Arthritis supervenit, vel quia materies jam disposita ad Arthritidem producendam febrili effervescentia sanguinis motu evehitur, & per circularem sanguinis motum transfertur in ejusdem cruoris vasa, donec cessante febri, & quiescente praeternaturali effervescentia adhuc secernitur, & ad articulos deponitur; vel quia materies ipsa febrilis non

bene

bene per secretoria vasa expulsa per acrisiam quandam ad articulos demandatur, vel Arthritis febrim ipsam consequitur, ut saepe in aegris meis observavi; in quibus venae sectiones, serum Caprinum, emulsiones, decoctiones herbarum temperatarum, oleum Amygdal. dulce, lenientia frequenter usurpata cum maximo aegrorum fructu in usum revocavi.

Colicam vero Arthritis excipit, vel medicantium inscitia, calidorum nempe medicamentorum, & purgantium usu, vel febris motu, quibus calida materies intestinorum fibras irritans intra vasorum sanguineorum cavitates transfertur; atque inde per sanguinis circuitum ad partium extremarum sensitivas membranas demandatur, oleum Amygd. dulce re. ex. emulsiones, Aquae Nucerinae, & paregorica medicamenta passim veniunt admovenda.

Ex morbis quibusdam etiam cuticularibus succedit Arthritis, utpote ex Achoribus, ex ulceribus & haemorrhoidibus vel sponta, vel arte intempestive sanatis, materia nempe illa ad articulos expulsa, quae prius per affectas partes exprimebatur. Ad istam vero sanandam Arthritidem valent ulcerum carnem modice rodentia, valent ad achores revocandos epispastica propter aures applicanda, & lenia quaedam attrahentia, que humorem illuc peccantem, & vitiosum invitent, & eliciant; valent Aloetica interne adhibita, & externae hirundines ad haemorrhoides aperiendas, ut semper humor ille Arthritidem producens ad illas partes revocetur, unde profectus est.

Sed de Arthritide succedente satis, nunc, pauca dicamus de Arthritide migrante. Et quidem Arthritis cum irregularis, & quidem gravissimos transit; hinc pulchre Galenus in Hippocratis librum de natura hominis, *Satius*, inquit, *est*, *ut humores pravi relictis principalioribus partibus in ignobiliores ferantur*, *quam*

quod ab ignobilioribus in principes impellantur, aſpeximus etenim ſaepe in his qui articulari morbo, aut podagrae obnoxii erant, quod repulſis ab artubus humoribus eo delatis, illi in principem aliquam partem contendentes homini interitum attulere; cui ea ſola relinquebatur ſpes ſalutis, ſi iterum poſſent ad artus revelli.

Ideo Arthritis ſaepe ventriculum, & inteſtina petit, & in iis tyrrannidem exercet, hinc vomitus, cardialgia, & ſingultus, ut ſaepe in Roccato obſervavi; hinc colica, dyſenteria, diarrhaea eveniunt. Saepe etiam caput, tamquam arcem munitiſſimam aggreditur, & nunc vertiginis, nunc cephalalgiae, nunc apoplexiae, quandoque etiam dementiae, & melancholiae, ut elapſo anno in quodam viro obſervavi, partes ſuſtinet, aliquando in nervos ſe inſinuat, unde paralyſis: non raro pectoris regionem, ſpirandique tentat organa, unde, unde Pleuritis, Aſthma, Tuſſis, Hemoptoe, & phthiſis apparent, uti etiam quandoque cordis dolor, ut oſervavi in digno Presbytero, qui ad Templum divi Petri commorabatur, aliquando etiam fauces invadit, & ſub anginae vultu ludificat aegrotos. Interdum ad os vertitur, & ſpurationem inſignem inducit, ut in fratre meo non ſemel obſervavi. Iterdum Renes afficiendo calculum infert, dyſuriam, & ſtranguriam; de quibus omnibus pulchre habetur hiſtoria ex Willi capit. de Athritide Tom. 2. Tandem etiam ad cutim ſe fert Arthritis, & eryſipelata, achores, & impetigines producit, in quibus omnibus debet ſolertia Medici incumbere materiam in viſceribus ſupra deſcriptis depoſitam partim e corpore evocando, partim in artus transferendo. Qui cupit hiſtorias, & curationes morborum ex Arthritide ſuccedentium habere, adeat Gulielmum Musgrave in ſua de Arthritide ſymptomatica Diſſertatione,

tione, & ea omnia, quae cupit, inveniet, ſupereſt tantum, ut moniam Lectores meos, ad evellandam e radicibus Arthritidem ipſam, ne in tot malorum iliadem irrumpat, vel ſimpliciorem menſam eſſe adhibendam, ajebat enim Divus Hieronimus. *Narrantur Athritici proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redacti convaluiſſe:* vel ſatis potens remedium eſſe admovendum praecipue in calidis, & ſiccis naturis Diaetam lacteam ad integrum, dummodo aegri ſe velint Medici imperio ſubmittere, ut in pluribus jam obſervavi. De Moxa Sinenſium nihil dico, utpote qui in ea nullam probabilem rationem invenio.

CAPUT XVI.

De Scorbuto ſuccedente, & migrante.

Scorbutus licet maritimorum locorum endemius morbus ſit, hisce tamen noſtris in regionibus quam frequentiſſime occurrit; frequenterque ex aliis ſuccedit, & in alios migrat morbos, morbi ex quibus ſuccedit, praecipue febres longae ſunt, Affectio hypochondriaca, & Lues celtica; in quos vero migrat morbos ſunt tumores aedematoſi, hydropes, arthritis, paralyſis, convulſiones, tabes pulmonalis, oſſium crepitus, & ulcera.

Et quidem in febribus longis dyscraſia ſalina, & in ſanguine, & in lympha producitur, a qua gingivarum corroſiones, ptyalimos, articulorum debilitas, & dolores oriuntur, quibus vera ſcorbutica affectio ſtabilitur. Medentur autem huic affectui chalybe parata medicamenta ſemper antiſcorbuticis commixta, uti etiam decoctum mane, &

vesperi ſumendum, de quo jam feci in tentamine illo meo italice ſcripto commemorationem.

Saepe etiam accidit, ut in affectione hypochondriaca fluidorum maſſa ita vitriolicis, & ſalinis particulis coinquinetur, ut ſcorbuticam naturam induant, quo in caſu antehypochondriacis medicamenta etiam antiſcorbutica commisceri debent, ut jam dictum eſt.

Lues tandem celtica talem, ac tantam cum ſcorbutica labe affinitatem habet, ut ſaepenumero aut ſcorbuticam labem comitetur, aut progignat. Sales enim acres & corroſivi, quibus in celtico lympha, & ſuccus nerveus abundant, ita corpus inficiunt, ut ulcera, maculae in ſuperficie corporis, ariculorum dolores, impotentia motus, tumores, gingivarum corroſiones, & alia hujusmodi, ut in ſtrenuo illo militie Pasqualigo obſervavi, ſuboriantur. Quo in caſu ſeptalii decoctum, Pilulae Mercuriales, Viperinae carnes, Tincturae antiſcorbuticae ſunt adhibendae.

Sed non ſolum ſuccedit ſcorbutus ex morbis, verum etiam in alios morbos mutatur, & quidem frequenter tumores aedematoſi, & hydropes ipſo ſcorbuto ſuperveniunt, crudus enim chylus, & ſalſus, craſſaque lympha commixtus minime circuire aptus in pedibus, & quandoque etiam manibus tumores aedematoſos excitat, uti etiam intra abdominis cavitatem detentus hydropes gignit, quos tamen ſupervenientes morbos curare ſaepe ſum aggreſſus, aqua calcis compoſita antiſcorbuticis medicamentis commixta, nec non chalybe ipſo, & victu optimo, & parco.

Arthritis vaga in ſcorbuto quam frequentiſſime apparet, a ſalſedine nempe ſanguinis, & lymphae, & eorumdem fluidorum lentore hic, & illic membraneis ductibus commorantium, blandae purgationes, venae

venae ſectiones, lignorum decocta herbis antiſcorbuticis parata, ſerum, lac, marte etiam parata, ſerum, lacto marte etiam parata medicamenta ſunt, apto tempore in uſum revocanda.

A lympha pariter ſalſa, nerveoque ſucco acri & impuro nerveis febrilis impactis, & adplicitis nervorum reſolutiones, convulſiones, & Epilepſię oriuntur, quibus medentur viſci quercini, Cornu Cervi, & Salſae parillae decocta antiſcorbuticis, & antiſpasmodicis ſemper conjuncta.

Atrophia pariter quandoque ſupervenit ſcorbuto, cum lympha a nimia ſalſedine vitiatur, & qui mitiſſimus humor eſſe debet, fit ſupra modum ſalſus, craſſus, crudus, lentus, nutritionique minime aptus, id eſt, qui commode, & aequabili quodam tenore per omnes venas circumferri, perque vaſa excretoria a ſuperfluitatibus continue expurgari non poſſit; unde membrorum contabeſcentia ſuboritur. Quo in caſu lac interius, & foris balnea, quae ex ononide ſpinoſa, hypericon, & radice ſyderitis grumoſae in aqua ſimplici parantu, optima ſunt.

Tabes etiam quandoque ex dyscraſia ſcorbutica oriuntur, cum per ipſam colliquationes in fluidis praecipue lymphaticis fiant, qua de re glandulae, quae ſitae ſunt circa os, fauces, & pulmones magnopere a lympha inficiuntur, unde continuae ſalivationes, & excreationes viſcidi phlegmatis e tonſillis, & ſalivalibus ductibus fiunt una cum frequenti tuſſi a ſero ſolatice producta intra glanduloſas tracheae tunicas perpetuo confluente. Quo in caſu ſemper medicamenta Thoracica antiſcorbuticis admiscenda ſunt, uti etiam ſal Martis, Pilulis Richardi Mortonis eſt admiſcendum, nec non aquae Chalibeatae in uſum ſunt revocandae.

Oſſium ſtrepitus ſcorbuto ſupervenire, licet rarum ſit, nonnulli Medici obſervarunt, quamvis eorum

rum cauſſam minime intelligere potuerint. Dominus tamen Pourpat in memoria Gallicae Academiae Regiae Scientiarum anni 1699. pag. 225. oſſium crepitus oriri ait, a ſeparatione cartilaginum ab oſſibus a vi cauſtica lympharum, quibus cartilagines imbibuntur, orta, quod in repetita cadaverum diſſectione, in Pariſinenſi Scorbutica Epidemia ab ipſo pluries eſt obſervatum. Tandem ab illa Lympha acri, & rodente ulcera non raro excitantur in ſcorbuticis, quibus praeter univerſalia, & antiſcorbutica medicamenta medentur etiam topica, aqua viridis nempe Hartmanni & Pitcarnii decoctum, quod recipit ad radicum oxilapathi, & Helenii, Sulphuris, Aluminis ſingulorum uncias duas; coquantur omnia ex aquae calcis libris octo, ad libras ſex addendo ſub fine coctionis foliorum Naſturtii Aquatici, Trifolii Aquatici, & cochleariae ſingulorum uncias admiſceatur colaturae pauxillum ſpiritus vini, camphora imbuti, & paretur decoctum, quo laventur ulcera.

DE

DE MORBORUM SUCCESSIONE

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Traditur Idea quaedam generalis de Morborum Successione in genere.

Nulla in re magis tam admirabilem harmoniam miramur, quam in humano corpore, in quo veluti ſacro vinculo ita connexae inter ſe omnes ſunt partes, ut quae pars ſub una ratione alteri obtemperet, eadem ipſa ſub alio reſpectu illi imperet, adeo verum eſt, quod magnus ſenex dicebat: *in corpore humano conſenſus unus, conſpiratio una, omnia conſentientia.* Hunc vero tam admirabilem corporis partium conſenſum, non tantum in ſalubri naturae ſtatu admiramur, verum etiam in morboſo; *hacque ratione morbum ſupra morbum fieri neceſſe eſſe* jam admonuit idem ſenex. Et quidem id minime evenire non poteſt; cum non ſolum corporis partes omnes ſolidae, cum aliis partibus conſentiant vicinitatis, conſenſus, & officii ratione; verum etiam fluidae ſint maximo inter ſe nexu conjunctae, ut facili negotio, vel ex uno in alterum ferantur locum, vel unius indolis naturam in alteram vel meliorem, vel pejorem mutent. Ut igitur claritatis gratia

gratia diſtinctam quandam generalem Ideam hoc tertio, & ultimo libro de ſucceſſione morborum tradam, ſingulas morborum ſucceſſiones tam ſolidorum, quam fluidorum paucis verbis, prout mea fert imbecillitas, innuam.

CAPUT II.

De ſucceſſione morborum ratione vicinitatis.

Primum igitur inter ſe partes morbos communicant ob eam, quam cum parte affecta habent vicinitatem. Et quidem ventriculus cum & lieni, & meſenterio, & hepati proximus ſit, ob iſtarum partium morbos ſaepenumero ipſe etiam laborat; ſi enim haec viscera, aut obſtructio aut induratio aut aliqua alia alteratio invadat, tunc etiam ventriculus, aut propter eorum auctam molem nimium coarctatur, & in ſuo conſtrictionis, & dilatationis officio impeditur; aut propter eorum calorem, aut ſuccorum pravitatem ita alteratur, ut aliquando ob majorem, vel minorem ſuccorum digeſtivorum activitatem vel excedat, vel deficiat in digeſtionis, & ſeparationis alimentorum munere, ex quo Ventriculi morbi naſcuntur, quibus numquam pares ſumus, niſi prius affectarum partium morbos ſolvamus, eorumque tonum ad naturalem ſtatum redigamus. Nihil vero tam inter ſe in humano corpore proximum eſt, quam uterus, & inteſtina in fęminis, quam inteſtina ipſa, & veſſica urinaria in hominibus. Ideo ob harum partium vicinitatem nonnumquam a foetus compreſſione pudendorum tumor, haemorrhoidum inflationes, & urinae ſuppreſſio fiunt, uti etiam quandoque obſtinata alvi ſiccitas evenit nullis ſananda medicamentis. Nonnumquam vero in foetum enixis alvi fluxus ſuboritur, qui tamen

tamen noxius ut plurimum non est, cum etiam per intestina, ut notat Baglivius, uteri excrementa diminuatur. Quod ego pluries in aegrotis meis expertus sum: quandoque etiam praegnantes ipsae ventris tentantur fluxu, quia excrementa retenta ex menstruis exuberantibus natura expelluntur, & tali in casu ventris fluxus est bonus, ut notat Mercurialis, & ego in mea ipsa Uxore dilectissima, hoc ipso anno, quo haec scribo, adnotavi, sic in viris per vessicam urinariam injecta in intestinis redduntur, nam Benivenius Florentinus suis in observationibus rarioribus capite septimo narrat de Puero duodecim annorum, qui injectum clysterem per urinam reddidit, & Baglivius circa suum de solidis systema capit. secundo, p. 385. narrat de aegroto ad nova horrea juxta hortos Monasterii Sancti Bernardi ad Thermas Diocletianas via Quirinali, sive Pia, crudelibus doloribus in sinistro Rene vi calculi divexato, cui facto clystere ex jusculo carnis, & oleo amyg. dulcium cessit dolor; secessit clyster per urinam totus, & nihil per Alvum, & in urinae superficie oleum clysteris innatabat, quantum vero & in urinae, & in uteri morbis prosint clysteres ob viscerum vicinitatem ii tantum judicent, qui jam diu se praxi dedere. Stranguriae vero aliquando supervenit Ileos ob intestinorum cum vesica urinaria vicinitatem. Pariter diaphragma cum pulmonibus, pulmones cum corde, & arteriis, venisque grandioribus, jugulum, collum, aliaeque partes circa collum cum capite, parotides glandulae cum gula, & lingua, oculi cum cerebero maximam habent vicinitatem, ideo in morbis acutis, quibus acuta fit vox, iis hypochondria intro sursum revulsa sunt, ob nempe pulmonis vicinitatem cum diaphragmate, in quo morbi ignis adest, in pulmonum vero indurationibus, scirrhis, vomicis, empiematibus, inflammationibus, & obstructionibus

omni-

omnibus arteriae comprimuntur, qua de caussa pulsus inaequales fiunt duri, & tensi ob compressionem pulmonum in arteriis factam, uti contingit in Comitissa Cumnena Casatti Gubernatoris uxore, ut observavi in eiusdem cadaveris dissectione, at quoniam illius historia morbi perrara fuit, & notatu digna, ne te pigeat Lector, eam hic attente legere. Nobilissima Comitissa Bianchina Casatti Hediolanensis dignissima hujus nostri Armorum Gubernatoris Alexii Cumneni Uxor aetatis suae circa quadragesimum secundum annum, calidae, & humidae naturae, habitus plethorici, & altioris, quam foeminam decet, staturae, comitante roseo genarum colore, cordis palpitatione, & anhelitus constrictione frequenter laborabat, a quibus tamen generosa sanguinis missione ad tres, vel quatuor usque libras brevi tempore liberabatur. Haec cum ex Brixiana Urbe Liniacum venisset, post duos menses ob plures ambulationes, scalarumque descensum, & ascensum antiquo illo coepit incommodo laborare, huic postea longae vigiliae, appetitus amissio, & lateris sinistri prope cordis regionem dolor accessere. Urgentibus symptomatibus secta fuit a Medico assistente ex parte doloris salvatella moderata sanguinis missione jam ante pleuriticis unctionibus adhibitis, & oleo amygdalarum dulcium epoto. Aliquid cepisse levaminis ex adhibitis praesidiis nobilissima Matrona videbatur. Sed postea adhuc dolor, & in dies magis magisque tussis, vigiliae, inappetentia, & respirationis difficultas, unde secundo, & tertio secta fuit & manus, & pedis vena, saeviebant. Eruptis tamen & urinis, & sudoribus copiosis post mannae potionem decima quarta judicari videbatur. At nobilissima Patiens sub horis serotinis iisdem fere symptomatibus torquebatur. Vigesima die altero dolore ex dextera lateris parte tam molesto aggressa

aggressa fuit, ut non nisi appositione, & compressione assidentium manus diminueretur. Sitis, vigiliae, tussis, respirandi difficultas, & totius corporis agitatio aderant. Sectae iterum, & cubitus, & pedis fuerunt venae, postea diu, noctuque tenuis sudor ex capite, & thorace emanabat, aderat pariter sputum copiosum album lymphaticum, attamen Patiens vehementius vexabatur a morbo, fui & ego tunc temporis arcessitus, & Nobilissimam Comitissam inveni maximo morbo agitatam. Sudabat circa antedictas corporis partes, sed sine febris diminutione, expuebat multum, sed albae, & lymphaticae materiae, & sine ullo difficultatis respirationis levamine, nihilque dolor de feritate sua remittebat, pulsus erat intermittens, modo humilis, modo elatus, & inaequalis non solum in collectione pulsationum, verum etiam in unica tantum pulsatione cum frequenti ex dextera parte carotidum micantia, suspicari coepi, an hic morbus similis illi esset, quem de Antipatro refert Galenus, qui ex simili pulsu agnovit illum tuberculo in levibus Pulmonis arteriis laborare, nec dubitavi tunc temporis asserere, quod in Patientis pulmonibus aliquod organicum vitium lateret, brevique tempore communi fato cessuram esse praedixi; conjecturam augebant indicatoria non judicantia, & rubicundus faciei color, qui ex Baglivio, *vel sanguinis copiam, vel internum phlegmonem, vel calidam intemperiem, vel visceris corruptionem significat*, post aliquot dies erysipelata modo in una, modo in altera parte oriebantur, & properante nobilissima Matrona ad tumulum, supra descripta symptomata quotidie magis saeviebant, aderant praeterea motus convulsivi, & ita vehemens cordis palpitatio cum hypochondriorum elevatione, ut superius appositam manum expelleret, invadebat aliquando frigus, & sputum ex lymphatico factum est sanguinolen-

lentum, & ex ſanguinolento purulentum, ac tandem ex utraque materie comınixtum, tumor interea aedematoſus in pedibus factus eſt, qui in dies magis magisque majorem in molem ſe ſe attolens non pedes tantum, ſed crura, & inguina occupabat. Aucta tandem tam ex dextra, quam ex laeva parte carotidum micantia poſt quinquageſimam ſeptimam morbi diem ex hac ad meliorem vitam nobiliſſima Matrona migravit. Elevato ſupra faciem ſterno intra thoracis cavitatem pulmonis globulus ex parte dextra, & cordis ventriculi amplioris magnitudinis, quam par erat, reperti ſunt, uti, e contra parvae molis dexter pulmonis globulus erat, magnum etiam empyema in Pulmonis ſubſtantia globuli ſiniſtri latebat, qui fere totus ex externa ſui parte pleurae, coſtisque tumefactus, corruptusque adhaerebat, hoc certe ex ſuppurata lateris ſiniſtri pleuritide productum fuit, quod cum intra quadraginta dies minime expurgatum eſſet, tranſivit in tabem, inter vero cetera, quae notanda erant in cadaveris diſſectione fuit tumor in ſuperioris alae pulmonis dextra parte ita durus, ut ſcirrhoſam aemularet naturam, ovalis figurae & magnitudinis, qui per medium diſſectus veluti carnoſus, ac fibris rubeis compactus videbatur, haec carnoſa pulmonis, ac dura pars, per noctem aqua infuſa, & poſtea iterum diſſecta in minores partes ope Lentis viſa eſt quibusdam veſiculis materia albuginea repletis diſtincta, quae certe Marcelli Malpighii conjecturam augebat aſſerentis in pulmonaribus bronchiis albugineam materiam adeſſe, ne pertranſeuntis ſanguinis calore internae membranae exſiccentur.

Quomodo autem intra pulmonis ſubſtantiam veſicularem ortus ſit tumor non ita facile eſt mente aſſequi,

ſequi, probabile tamen cum videatur, pulmonariorum vaſorum extentiones ad tantam devenire parvitatem, ſubtilitatemque, ut levi de cauſſa regiae illae viae frangantur, & poſtea in pulmonibus, hydropes, ſanguinis expuitiones, pleuritides, aſthmata, indurationes, calculi, ut obſervarunt etiam praeſtantiſſimi viri, Helmontius, Salmut, Galenus, Trallianus, Aegineta, & Dodonaeus, facile oriantur, primum ſanguis aliqua ſua particula coepit extra vaſa ferri, deinde coagulari, atque tandem ad intimum particularum contactum devenire. Minimis illis vaſorum pulmonariorum ſurculis albuginea ſanguinis pars, quae fortaſſe reticularis eſt, ob ſuam craſſitiem amiſſo recto tramite inhaeſit, haec poſtea ex interna aeris, in orbicularibus & ſinuoſis veſiculis ſe ſe iſinnuantis compreſſione, ab ejusdem pondere, & elaſtica vi facta, & ex continente membrana, & thoracis conſtrictione veluti ex duplici manu reſtrictus liquor comprimebatur, donec ad ſuperius enarratam duritiem unione particularum pluribus in punctis junctarum deverit. Haec durities tot morborum, atque ſymptomatum origo fuit, nam cum amplius ex ſuper gravantis tumoris compreſſione ob nimiam vicinitatem brachiales, & carotides arteriae ſe ſe dilatare nequirent, veluti ſtrangulabantur, unde ſanguis cum libere amplius ſubire vias nequiret, intra cordis cavititates augebatur, illiusque parietes ſaepe, atque iterum compreſſos ampliorem in molem redegit, ex quo poſtea viſi ſunt ventriculi ampliores, quam par eſt, ob nimiam a ſanguine factam dilitationem, uti etiam dexter pulmonis globulus alterius minor ob denegatum ſibi a conſtrictione vaſorum ſanguinem deferentium alimentum, & ſicuti ex carotidum, & brachialium arteriarum compreſſione a tumore facta inaequalitas, & pulſus intermittentia, ita ex nimia ſanguinis redundantia,

ibi ob positum obicem congesta, tam enormis cordis palpitatio cum arteriarum micantia oriebatur, fuit multoties generosa sanguinis missione anhelitus constrictione, & aliis pectoris morbis liberata, quia impeditus ob tumoris resistentiam cruoris motus tanta deoneratione in pristinam celeritatem restituebatur, sed tandem ob conceptum calorem aucta fortasse nimis ejus quantitate irrupit intra pulmonis substantiam, ibique stabulavit, & exitialissimam Pleuritidem produxit, quae postea apostematica facta cum expui non posset, in empiema transivit, & ex hoc in Tabem, jam vero intra toracis cavitatem duo morbi recens unus, antiquus alter dominabantur, eorumque symptomata in dies magis magisque suam exercebant tyrannidem, nam stabulante tam ex uno, quam ex altero morbo in omnibus corporis partibus sanguine erysipelata, aedematosus tumor, & sputum lymphaticum copiosum tum ob enervatum fibrarum tonum, tum ob affluxam lympham ad tonsillares, & thyroidaeas, totiusque asperae arteriae glandulas apparebant. Quin etiam ex acri illa lympha intra Pulmonis bronchiales vesiculas praeterfluente, & irritante membranas oriebatur tussis illa frequens, & molesta cum materiae ejusdem naturae rejectione, ex confluente vero illa lymphatica, & purulenta empiematis materia, & fermentante, concitato Thoracis calore, veluti quadam vi exprimebatur sudor, adjuvante etiam majori cordis, & arteriarum motu ob sanguinis nimia in copia recurrentis affluxum, collapsis tandem viribus, & emaciata pulmonis substantia maxima, ac ultima mutatio in nobilissima Matrona subsequuta est. Ita quoque ob Aortae cum pulmone vicinitatem adnotavit doctus Medicus amicus meus ab eiusdem Aortae Aneurysmate ortam esse difficultatis respirationem, tum Pectoris hydropem, deinde Anasarcam, tandem mortem

tem ipſam. Collum autem cum capite maxime conjunctum eſt, unde dicebat Hippocrates, *quod in doloris acerbitate paulisper in jugulo fixa ob capitis vicinitatem aliquando ad ſuperiora vertitur, & mortiferum adfert malum*, ſic pariter febri maligna laborantibus ſi ſuperveniant parotides vertiginoſae ob capitis vicinitatem peſtiferae ſunt, cum indicent portionem malignitatis ad cerebrum propagari, quo in caſu liberali diarrhaea, & urinae profluviis periculo liberantur, ut notat Hippocrates in Calzomenio. Quandoque etiam Parotides ob compreſſionem, & dilatationem reſpirationem impediunt, quo in caſu ſtatim ad ſanguinis miſſionem ex ſalvatella eſt tranſeundum, ut ſaepius obſervavi, ſic angina in convulſionem muſculorum colli, & ſpinalis medullae tranſit, ut notat Hippocrates in Epidemicis libris. Sic Parotidibus rubris exacti jam morbi ſuperſtitibus ſuperveniunt quandoque convulſiones cum aphonia, & exolutione ob vicinitatem glandularum parotidalium cum nervis linguae, laryngis, & aſperae arteriae, ſic ob maximam, quam habent oculi cum cerebro affinitatem quandoque pertinacem, & rebellem viſus laeſionem conſequitur Apoplexia, ut notavi in Bagarotto, cui primum videbantur objecta duplicari, inde apoplexia correptus, tantum mortuus eſt, excipit quandoque & epilepſiam cęcitas ipſa, ut in Doctore Romagnoli adnotavi, ſic lippitudo conſequitur dolorem capitis, & aliquando dolor capitis conſequitur lippitudinem, & tam in uno, quam in altero caſu peſſimum indicium eſt, & maximum effert cęcitatis periculum; nam docente Galeno, *eorum omnium, quae per ſympathiam naſcuntur, nullum eſt, quod priorem morbum poſſit exolvere.*

Sunt etiam inter ſe proximae muſculorum abdominis, & integumentorum partes cum inteſtinis, &

 veſica

vesica urinaria, uti etiam mesenterium cum ventriculo, & intestinis, & dorsum cum lacteis venis, nam tumor magnus in perinaeo subortus, vel iscuriam, vel alvi suppressionem producit, & incurabilem morbum inducit, sic tumor in mesenterio scirrhosus alvi stipticitatem, & frequentem vomitum excitat, ut mihi nunc temporis observare datur in nobili cive. Sic Gibbositas atrophiam inducit, quia lacteae vene, & thoracicus ductus a Gibbositate alterantur.

Hae considerationes perutiles admodum sunt non solum pro morborum cognitione, verum etiam pro ipsorum medicamentorum usu, cum in ipsis adhibendis debeat Medicus semper considerare, & affectam partem, & ei proximam, ne in Galeni errorem cadat unam morborum affectionem tollendo, alteram, & quidem aliquando etiam majoris momenti producendo. Cum enim Galenus in homine quadraginta annos nato calidam, & siccam intemperiem ventriculi curaret, adeo nimis refrigerantibus usus est, ut etiam gula refrigerata incurabilem affectionem induxerit, uti etiam in alio, cujus ventriculo appositis remediis septum transversum nimium refrigeratum est, ut idem Auctor narrat lib. 1. meth. medend. cap. 8.

CAPUT III.

De Successione morborum ratione consensus.

At non solum partes, quae sunt inter se se proximae, compatiuntur in morbis, verum etiam partes ob consensum ab affecta parte remotissimae, partes enim inter & partes occultus quidam, ac reconditus adest consensus, cujus ratione sicuti in naturae functionibus obeundis sibi invicem communicant, ita pariter per nescio quid occultum morbos sibi faciunt com-

communes. Ventriculus cum capite, & toto corpore consensum habet. Ideo ab Hippocrate consideratur ventriculus tamquam mare, nam sicut mare communicat toti terrarum orbi aquas, ita ventriculus per omnes corporis partes morbos suos distribuit, hinc Quintus Serenus,

Qui stomachum Regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur.

Ideo ventriculi laboranti aliquando vertigo, aliquando epilepsia, nonnunquam articulorum dolores, asthma pariter, & tussis superveniunt. Vertigines ex stomacho succedentes quotidie in praxi observantur, & Forestus narrat obser. 49. lib. 10. pag. 476. de quodam Gulielmo, qui cum diu stomachi imbecillitati, & nausea laborasset, vertiginem incurrebat, quam praecipue patieabatur, si in foro ambularet, ac alios obambulantes cerneret, illico discedere cogebatur, alioqui in terram incidisset, quibus remediis sanari debeat huiusmodi morbus deduci potest ex aphoristica sententia Hippocratis sect. 4. aphor. 17. ubi docet; *Si quis febrem non habens abstineat a cibo, & cordis morsum, & tenebricosam vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentis, purgatione indigere per superiora significat*, de epilepsia morbo stomachi per consensum superveniente, habetur historia apud eundem Forestum obs. 64. lib. 10. pag. 500. narrat enim de puero octo annorum, qui violenta convulsione, & epilepsia admodum gravi, & diuturna, paroxismo ad quatuor integras horas perdurante misere correptus est. Puer iste antequam caderet, circa stomachum nauseabundus conquereabatur: lignum ultra in os cum cochleari argenteo diductis dentibus, & apertis maxillis obtendebam, ac in os fundebam oxymel. symplic. scilit. symp. de staech. multa, aquosa, & pituitosa super evomuit, & sanatus est

oleis etiam nardino, abſcintico, & maſticin, ventriculo applicitis. Articulorum dolores morboſe ventriculi affectioni ſupervenientes pluries obſervavi in aegris meis, & praecipue in illuſtri quadam veſtali, quae hisce fere iisdem diebus, haec ſcribo, primum ſtomachi nauſea, & dolore conquerebatur, deinde per ſternum ad brachia, & crura dolores ipſi propagabantur, quod autem ad Aſthma, & tuſſim attinet non raro obſervantur in praxi: & praecipue in ſene illo Petro Blancho, ad Plateam morante qui frequenter asmathe laborat, huic remedia pectoralia parum profecerunt, at poſtquam obſervavi ego ex gatu inferius errumpente, & ructibus frequentibus, malum hoc vitio ventriculi potiſſimum oriri, alternis diebus oximel. ſcilit. exhibui, quo ex ſtomacho multa alba ponderoſa materia exonerata plus levaminis ſenſit, quam ex tot aliis antea praeſtitis medicamentis.

Pectus ſuum etiam conſenſum habet cum ſtomacho, quare ex tuſſi ſicca vomitus quandoque excitatur, ut frequenter in pueris ſolet evenire. Gula, pulmo, & teſtes maxime inter ſe conſentiunt, & adinvicem morbos inter ſe communicant. Quare Hercurialis ſaepe haemoptoicos curavit fomento ex aqua gelida teſtibus admoto; nec non etiam in vocis, & gulae morbis cauteriis ſcroto feliciſſime uſus eſt, quos etiam ſaepe ſempervivi ſucco illinit Baglivius in narium haemorrhagia. Uteris cum mammis, & epigaſtrii regione conſentit; Ideo Hippocrates & in abortu, & in immodico uteri fluxu ſiſtendis illis partibus praeſtat medicamenta. Habet uterus cum capite, & praecipue cum anteriore eiusdem parte conſenſum, cum fere in omnibus uteri affectionibus ſinciput doleat. Fit etiam in uteri ſuppreſſione aliquando Paraplegia, ut notat Mercurialis in ſecundum Epidemicum librum a compreſſione venarum. Trahit

etiam

etiam uterus in consensum gulam, cor, & partes fere omnes corporis, cum illo affecto ob nervorum propagationem, & gulae strangulatio, & cordis palpitatio, & rigor, & universi corporis calor non raro eveniant. Hinc in solemnitate Nuptiarum veterum Nutrix ut sciret, an vir cum sponsa bene nocte illa se gesserit, collum cum filo sponsae circumdabat, qua de re pulchre Catullus

Non illam Nutrix orienti luce revisens,
Externo collum poterat circumdare filo.

Pedes inter & intestino mirabilis adest consensus, & in intestinorum morbis medicamenta pedibus ex magni senis sententia apponuntur, uti etiam ex pedum rigore, quanta morbi intestinorum sit vis, ipso magistro docente, licet noscere. Frequentissime etiam in praxi admirabilis ille occurrit consensus, qui Renes inter, lumborum regionem, & ductum cholydicum interest, hinc in nephritico insultu, praeter lumborum dolorem gravativum frequentissime etiam nausea, & vomitus succedunt. In nephriticis pariter non raro adest hemicrania, ea parte capitis, quae dolenti reni e directo respondet; stupor quoque crurum e directo, & retractio testiculi e directo, ob eundem consensum fiunt. Intestina, & Renes inter se respondent, qua de re difficulter a medicis dolor colicus a nephritico distinguitur; Intestinum enim colon tam dextro, quam sinistro Reni est alligatum. Ischii, & lumborum dolores ex infarctu, congestioneque pravorum, & crudorum humorum in mesenterio orti ad genua, & ultimos digitos quandoque protenduntur. Uterus, & intestina inter se consentiunt, cum non raro dolores cholici ob consensum uteri oriantur. Vesica urinaria cum utero,

& inteſtinis, hepar cum ventriculo conſenſum habent, docente enim Hippocrate, *aut utero inflammationem patiente urinae ſtillicidum accidit, hepati autem inflammationem pate ſingultus advenit.* Inteſtina pariter, & urinae veſica cum lumbis conſenſum habent, nam dici ſolet

Mingere cum bombis res eſt ſaniſſima lumbis.

Hic tamen adnotandum venit, naturam in productione morborum ob conſenſum orientium partium directionem ſervare; Cur autem ita ſe gerat, rationem reddit Baglivius libro primo de fibra motrice pagin. 223. inquit enim, piam, & duram matrem bifariam cerebrum ſecare, in partem nempe dextram, & ſiniſtram; Neque in ſolo cerebro huiusmodi exacta diviſio definit, ſed ad infernas quasque partes extenditur, hinc paralyſes illae medietatem corporis exacte occupantes oriuntur, en itaque habes primum conſenſum partium, e directo ab Hippocrate indicatum: illumque ob communemque diviſionem in cerebro oriri ab ipſis menignibus factas. Porro eadem menignes ſequendo vias cerebri in ſpinalem medullam producti hanc quoque binas in partes aequaliter partiuntur, atque triginta nervorum paria hinc inde dimittunt; & en ſecundam habes cauſſam conſenſus partium e directo jure communis originis, diviſionique.

CAPUT IV.

De ſucceſſione morborum ratione officii.

Neque ſolum ob conſenſum partes partibus morbos communicant, verum etiam ob idem, quo fuguntur, officium.

officium. Oculus oculo ſuos morbos participat, hepar felleae veſicae, inteſtina ventriculo, & ventriculus inteſtinis ad invicem ob eandem rationem compatiuntur, dyſenteriae enim lienteria ſuccedit, & inteſtinorum dolores ventriculi dolores, & contra etiam excipiunt. Sic Ren cum Rene, & Renes cum ureteribus & veſica urinaria maximum conſenſum habent, ob idem, quod habent urinam nempe ſeparandi officium: qua de re Renum morbi pro veſicae morbis aliquando a practicis curantur; quod obſervavi in digno presbytero, in quo Renum ulcus pro veſicae urinariae morbo curabatur; cognito vero a me per filamentoſam, & absque foetido odore ſaniem, Renum ulcere per repetitum Aquae Nucerinae uſum necnon etiam non etiam terebinthinae venetae Rhabarbaro, & mercurio commixtae, radicisque ononidis cum Locatello Balſamo ſanatus eſt. Dyſuria enim non erat morbus primigenius, ſed veluti morbus ſuccedaneus effectus, productus nempe a ſenie, ex Renum ulcere, deſcendente. *Qui bene judicare novit, maximam ſapientiae partem novit*, dicebat Hippocrates; quo etiam in ſenſu dicereſolebat Baglivius, *qui bene judicat, bene curat.* Hoc vero rectum judicium nemo unquam recte aſſequi poteſt, niſi qui bene novit morborum ſucceſſiones.

CAPUT V.

De Succeſſione Morborum ex translatione humorum ex uno in alterum locum.

N frequentius occurrit in Medicina quam morbi, qu ex uno in alterum locum materiae vitioſae transductione oriuntur. Materies Pectoris, & inteſtino-

rum, in quorum primo tuſſim, in ſecundis profluvium excitat, deſcendit ad articulos, & praecipue ad pedes: dicebat enim Hippocrates lib. de judic. *qui ab Alvi profluvio una cum tuſſi multo tempore detinentur, non liberantur, niſi dolores vehementes pedibus inciderint*; quod obſervavi in Battani, qui diu tuſſi ſicca, & hepatica cum alvi profluvio detentus, poſtea ceſſante tuſſi, & alvi profluvio, in dolores, & cruciatus intolerabiles articulorum cum febri continua incidit, a quibus tandem liber evaſit repetita quater venae ſectione, & longo C. C. & Salſae paril. cum viſc. quercino decoctionis uſu, prius tamen praeſtitis medicamentis refrigerantibus. Febrilis longarum, & lentarum febrium materies, ut plurimum, aut in abſceſſus, aut in articulorum fluxiones migrat, tum quia ad criſim perficiendam vires deſunt, tum quia materies ipſa ſemper cruda eſt, ut ſaepe ac ſaepius in praxi exercenda obſervatur. Humor ille peſſimus Epilepſiam producens, quandoque a capite ad inferiores partes transfertur, morbumque ſolvit, docebat enim Cous, Epilepſiam ſolvere dolorem coxarum, oculorum diſtorſiones, cecitatem, teſtium tumefactionem, mammarum elevationem, cum ex una in alteram fit aetatis mutatio. Quandoque vero epilepſia paralyſim producit, ut notat Amatus de Puero epileptico, qui poſtea in brachii, & cruris dextri paralyſim devenit: ut ad longum videri poteſt centur. 4. cur. 22. fit enim tunc ab acceſſione epileptica, quando nervorum aliquorum oscula clauduntur, & animalium ſpirituum tranſitus prohibetur; facta vero obſtructione nervorum fit reſolutio, & conſequenter privatio ſenſus, & motus; nonnumquam Paralyſis ipſa in Epilepſiam degenerat, & narrat Gregorius Horſtius obſerv. 41. lib. 2. de puero qui poſt paralyſim dextri lateris in Epilepſiam incidit. Ver-

Vertigo pariter in Epilepſiam tranſit, & Avicenna appellabat vertiginem diminutam Epilepſiam. Quandoque etiam epilepſia in Quartanam migrat, & ſanatur transducta intra venas morboſa materia; dicebat enim Hippocrates in Aphorismis: *febre quartana ſuperveniente epilepſia liberatur*, quod vidi & ego in adolescentula mihi ſanguine conjuncta, & epilepſia laborante; quae tandem quartana liberata fuit. Materies volvuli mollis quandoque diſſipatur, & cerebrum petit, vel transmutatur, & articulorum dolores producit, & primigenius morbus tollitur, hinc Cous, *in volvulo molli frigidum vinum multum merum ſecundum rationem dare oportet, donec ſomnus, vel crurum dolor fiat.* In febribus materies ex inferioribus partibus, quandoque ad ſuperiora aſcendit, tumque aegri in deterius procedunt. Docet enim Hippocrates in Prorretico, *quibus in febre dolores circa lumbos, & inferiores partes oborti, iis relictis ad diaphragma tranſeunt, valde peſtiferi; idque tum alias, tum ſi quod aliud pravum acceſſerit ſignum, ſin autem caetera ſigna non ſint prava, ſuppuratum expectandum eſt*; ut Lariſaeo calvo, & Critoni accidit, nonnumquam ſuperiores partes inferioribus morbus jungit; docente enim magno ſene, *ſurditas morbi acuti, turbulentique ſuccedanea grave eſt malum, grave eſt item ſurditas diuturni, quin etiam his dolores profert ad coxas*, uti in Heropito Abderita. In oculorum morbis quandoque humorum fluxio ad alvum derivatur, quare dicebat Cous, *quae lippienti ſponte diarrhaea cietur, ſalubris*; quandoque vero ad Scrotum deſcendit, ut obſervavi in ſene octogenario, in quo ex oculorum phlegmone derepente, & praeter expectationem ſanato acceſſit adeo magnus ſcroti abſceſſus, ut paracenteſi inſtituta, eaque ter repetita octo librae ſanguinis nigri emanaverint.

Dolores

Dolores lumborum alvi fluxu ſanantur, materia nempe per meſenterium ad inteſtina delata, cum meſenterium ſit dorſo, & lumbis alligatum.

Lumborum vertebrarum cum ſpirandi difficultate diſtorſiones ſanguinis profuſione exſolvuntur; materia nempe vitioſa ex ſpinali medulla, vel ad nares, vel ad alios conferentes locos derivata, ut contigit Heropito, qui erecte obambulabat, at poſt ſanguinis e naribus repetitum effluxum ſanatus eſt; idemque contigit mulieri Thaſiae, quae erecte pariter obambulabat, at cum menſes multi prodiiſſent, ſanata eſt.

Diuturni circa lumbos, Ilia, & hypochondria dolores quandoque tranſeunt ad caput, quod obſervavit etiam Hippocrates in Prorretico dicens, *qui diuturni circa lumbos, & ilia, tum qui ad hypochondria prorepunt dolores cum febre, & cibi faſtidio, ſi inde tranſierit fortis dolor ad caput, crudeliter convulſifico modo necant.* A Liene etiam ad Ilia, ac ad pubem vitioſam materiam deſcendere per venas iliacas vidit olim idem oculatiſſimus ſenex, ſed innuit id adeo tecte, ut a paucis obſervetur, *qui nigra*, inquit, *vomunt, ad Pubem dolent*, lib. praedict. expulſa videlicet illuc acri ſanguinis aqua. Qua de re certum eſt, *melancholicis fieri maximos morbos ab ilibus.* Etiam hypochondriorum dolores in febribus ad Iſchia transeunt; quare dicebat Cous, *hypochondriorum dolores in febri ſubſultim vigente, qui ſine ſudore exolvuntur terrifici, horum ad Iſchia tranſitus eſt.* Pariter hypochondriorum tumores in Parotides convertuntur; *nam tumore hypochondriorum vaneſcente, ſpiratio magna bilioſis quidem, & febris acuta parotides vomit.* Ventriculorum morbi frequenter ad cor deferuntur, hocque fit propter lactearum venarum inſertionem, quae ex inteſtinis per ductum Tho-

Thoracicum ad ſubclaviam vitioſos cum chylo humores deferunt. Hinc ſincopalis febris ex humore crudo e ventriculo deducto trahit exortum, quam Galenus ex oris ventriculi deducit offenſione. Hinc Palpitationes, hinc pulſus interceptio, hinc etiam ob chylum crudum inducitur aliquando pleuritis, peripneumonia, aſthma, tuſſis.

Nec vero hic deſinunt morbi, qui ex uno in alterum locum morboſae materiae transductione fiunt. *Vertigines ex haemorrhoide quantumvis parum, atque parumper aperta oboriuntur, & paraplecticum quidpiam ominantur. In Leucophlegmatia implicita fortis diarrhaea aliquando ſupervenit, & morbum ſolvit.* Humores cutis feliciter feruntur ad Alvum, & morbi cutis cum inteſtinorum morbis feliciter transmutantur. Hinc Cous, *alvi adſtrictio cutis raritas; & cutis adſtrictio, alvi raritas. Ex ineunte hydrope aliquando incidit aquoſa diarrhaea cruditatis expers, & morbum ſolvit. Pariter ex hydrope, quae fit ſecundum venas prorumpit aqua in Alvum, & ſanatur.* Haemorrhoidum fluxus aliquando apoplecticis fit, & eſt ſalutaris, idem flaxus aliquando apoplecticis fit, & eſt ſalutaris, idem fluxus de repente ſanatus eadem ipſa mala gignit, quae ex meſtruorum ſuppreſſione oriuntur. Sic ex furore aliquando abſceſſus aut in liene, aut in crure, ut contigit Herophonti, derivat. Menſtruorum ſuppreſſio producit hydropem cachexiam, leucophlegmaticam, epilepſiam, melancholiam, oblivionem, cordis palpitationem, aſthmata, peripneumoniam, febrem quartanam, ſanguinis ſputum, phthiſim, haemorrhagiam, ſcabiem, tumores, inflammationes, ſcirrhos, abſceſſus, ulcera, convulſiones. Pariter ex lochiis retentis graviſſimi morbi ſuboriuntur, nam apud Stildanum ſcabies foediſſima, & febre lepro ſa: apud Salmuth melancholia, & oblivio: apud Foreſtum

ſtum in reſponſis medicis pagin. 25. apoplexia: apud Cattier obſer. 11. phthiſis, & pulmonum corruptela: apud Teodatum in valetudine Paralyſis: apud Timaeum epileſia ex lochiis retentis leguntur; & ego multoties uteri inflammationes, pectoris, & hepatis vidi ex hac ipſe peſſima lochiorum transductione ſubortas. Tenuium inteſtinorum dolores quandoque etiam excitantur, & lethales cruciatus; docente enim Hippocrate; *ex mulicbrium ſuppreſſione, quibus dolorum, & cruciatus eſt ſuperne, & circa tenue; iis alvos ciet profuſe; atque iis circa criſim veternis, ſub anxiis & cum impotentia ex vacuitate, ſudetiuncula, & perfrigeratio; ac recidivae hujusmodi, plurimis cum ceſſarint obortae, cito ipſas interimunt*, quo etiam in ſenſu idem Auctor docet: *Dolorifica mala cum relictis Ilibus ad tenue tranſeunt in longis morbis ex abortu non ita multum purgato, mortifera.*

Varices, vel haemorrhoides quandoque ſuperveniunt inſaniae, & eam ſolvunt. Ex ſcabie retro pulſa excitatur Aſthma, quo in caſu aeger cum ſcabioſo dormire debet, ut humor vitioſus denuo revocetur ad cutim. Eadem ſcabies intempeſtive ſanata deſinit in hydropem, ut de Milone legitur apud Hippocratem. Sic diſcimus, ex Chriſtophoro Bonetto in Veſtibulo Theatri Tabidorum exercit. 13. impetiginis materiam topicis repreſſam, atque at inteſtina repulſam primum colicos cruciatus, paulo vero poſt phthiſim homini intuliſſe. Sic fluor muliebris continuo ſuppreſſus translatus eſt in diabetem lethalem, ut legitur apud Ballonium conſil. 59. relatum eſt etiam ab amico meo, ſe obſervaſſe fluorem illum intempeſtive ſanatum produxiſſe febrim cum anhelitus ſumma difficultate, quae ſtatim ſanguinis miſſione ſanata fuit. Cholera aliquando producit diſuriem, quo in caſu bonum eſt, ut notat Baglivius, qui aſſerit omnes factos dy-

dyſurioſos ſe judicatos vidiſſe. Dolor cholicus deſinit in Paralyſim, ut ſuperius innuimus, & Paralyſis aliquando deſinit in dolorem cholicum; quo autem pacto hi affectus ad invicem transmutentur explicat ingenue Andreas Laurentius lib. 4. anatomicarum quaeſtionum capit. 20. quaeſt. 8. uti atiam articulorum dolores, & dolor colicus ad invicem transmutantur, ut notat Hippocrates 6. epid. ſect. 4. tex. 3. *cui inteſtinum a dextra parte, cum articulorum morbo laboraret, erat quietior, poſtquam vero is curatus ſuis, erat dolentior.* At majoris claritatis gratia hic quandam fert animus nobiliſſimam referre hiſtoriam a Ricordo Mortone in ſuo tractatu de phtiſol. relatam, quae ad majorem intelligentiam ſucceſſionis morborum ex uno in alterum locum vitioſae materiae transductione plurimum confert. Uxor domini Clapton, incolae cujusdam vici dicti Lothbury, circa annos quadraginta nata, mulier a multis annis valde ſcorbutica, & aſthmatica, poſt quatuor hebdomodas a puerperio elapſas, verno tempore in acutiſſimos dolores paulo ſupra inguen incidebat; cui praeter linimentum anodynum exterius adhibitum propinavi hauſtum aliquantisper diaphoreticum ex Aq. Card. ſ. Theriac. Androm. & ſymp. de meconio; quo factum eſt, ut in profuſiſſimos, & admodum fętidos ſudores colliqueſceret, qui non obſtante cauta ſtragularum detractione duabus hebdomadis, vel amplius perdurabant cum inſigni viriumlanguore, tabidaque corporis conſumptione, quo obſervato electuaria, & temperata conſtringentia, & poros cutis obſtruentia, aliaque hujusmodi continuo praeſcripſi, unde ſudores protinus de creſcebant; verum novo chylo (ob acrimoniam ſanguinis adhuc reſtantem) reliquae maſſae non ita bene aſſimilato atque unito, jam commixto, licet pori cutis jam arte eſſent obſtructi; ſuccus tamen nutritius

tius recens novam ſibi portam moliebatur, quo ſudor colliquativus, diarrhaea aeque colliquante, una cum torminibus excipiebatur, habitu corporis in pejorem tabis gradum ruente; verum hac porta uſu opiatorum, & emplaſticorum medicaminum itidem occluſa, ſuccus nutritius aliam per Renes invenit, quo miſella foemina in diabetem, cum promotione tabis in gradum fere maraſmi incidit. Diabete autem uſu Gummis arabici, electuariorum adſtringentium evicto, immenſi, & colliquativi ſudores denuo ſunt reverſi; ideoque hanc miſeram, & tabidam mulierem (ita ſuadente etiam tempeſtate anni jam ſcilicet verna,) in aerem perflatilem, & apricum Hampſtadienſem, dimittere decrevi; qua mutatione aeris (poris cutis ſubito occluſis) in inſignem ſalivationem per viginti dies, vel eo amplius verſus eſt morbus, diſpoſitione tabida adhuc reſtante, vel etiam magis acuta; uſu vero copioſo dietae lacteae, atque aeris aprici beneficio, maſſa ſanguinis paulatim emollita, etiam ſucci nutritii colliquatio ſenſim evincebatur, atque inde non tantum a ſalivatione, verum etiam ab ipſa tabida diſpoſitione libera, in ſtatum, & ad appetitum integrum in dies reducta eſt, longo tandem apoſtemate ſuper inguem, ubi dolor primum invaſerat, collecto; quod apertum, & ope chirurgica curatum fuit. Ex qua etiam hiſtoria facile deduci poteſt, fluida ſuas determinatas leges habere, hasque pro natura ſua ſequi debere. Inter vero has leges illam maxime ſequuntur in morbis, quae directionis lex eſt, ideo morbi partium e directo poſitarum dextrae cum dextris, ſiniſtrae cum ſiniſtris infra, ſupra, & contra convertuntur, & conſentiunt adinvicem, & ad invicem mutantur. Quin etiam ab omni tranſitu & progreſſu facilis fit ad eas partes recurſus, atque reverſio, unde morbifica vis primum ma-

manavit, ſiquidem in ea parte praeter debilitatem impreſſa manent veteris morbi veſtigia; quod notavit etiam Hippocrates in quarto morborum popularium de quodam apud Leonidis aedes habitante, cui ex ulcere in externa tibiae parte reſiccato dolor lateris, & pectoris ſiniſtri e directo factus, mortem attulit.

CAPUT VI.

De ſucceſſione Morborum, vel humorum majori depravatione, vel eorundem ex una in alteram naturam mutatione.

Succedunt etiam morbi morbis, vel majori humorum depravatione, vel ex una in alteram vel meliorem, vel pejorem naturam humorum mutatione. Catharhrus ſua ſtagnatione in pulmonibus puris formam induit, quod velim medici adnotarent, ne tam facile credant ſe tabem ſanare poſſe. Sanguinis craſis ſuam indolem, & naturam in peſſimam diſcraſiam permutat ex longis menſtruorum fluxibus, ex largis haemorrhagiis, ex amplis & apoſtematibus, & ulceribus, ex nimia lactatione, ex diabete, ex nimia ſalivatione, ex ſudoribus immenſis, ex haemorrhoidum fluxu immodico, aliisque omnibus excedentibus evacuationibus, in quibus enervato ſucci nervei tono, & diſſoluta fibrarum ſanguinis craſim conſtituentium compage fluidorum omnium dyſcraſia introducitur, ex qua poſtea foedus corporis color, ciborum inappetentia, vitiata concoctio, pedum tumores, hydropes, convulſio, animi defectus, cachexiae, atrophiae, tabes, ut notat etiam Galenus lib. 6. de locis affect. cap. 5. eadem ratione Scorbutici, & Aſthmatici in cachexiam, & in aquam intercutem, notante etiam Aaetio, deducti ſunt.

Curſu fluidis denegato in pejorem naturam degenerant fluida ipſa, qua de re dicebat Hippocrates in Prorret. *Lumborum tenſio ex muliebrium abundantia promovet ſuppuratum: ſed & quae variegata pigro lapſu feruntur glutinoſa, graveolentia, ſtrangulatione, praeter illa ſuppuratum denunciant.* Quod clarioris doctrinae gratia exemplo illuſtrare aggredior. Nobilis quaedam Matrona ad Divae Mariae Templum ſingulis menſibus duabus, & quandoque tribus vicibus abundanti meſtruorum fluxui obnoxia mulierculanim conſultu pluribus medicamentis ad fluxum illum ſiſtendum uſa eſt; at poſtquam aliquantiſper fluidis per vicina vaſa ſe ſe exonerantibus curſus eſt denegatus, nobilis Matrona in intolerabiles pubis dolores, & cruciatus incidit; & jam prope iguina oborto tumore fluxus uterinus immodicus modo albus, modo rubeus, vigiliae, & febris continua lenta, & totius corporis depravatus color, & macies prodiere. Poſt longum tempus purulenta, & foetidi odoris materies, nec non identidem polypoſae excretiones per uterum excernuntur. At ſeries tot morborum patientia nobilis Matronae, & per tres menſes continua decoct. praeſtita ex cinna, ex Cornucervi, & Eboris Raſura cum radice conſolidae, & foliis Biſtortiae, & Plantaginis parata, frequentibus injectionibus per uterum aut ſola aqua Calcis, aut mixta Therebentinae, pilulis etiam alternis diebus ſumptis ex Rhab. ex Therebentina ipſa ad primam ſanitatem redacta eſt.

Ab indigeſto ſaepenumero, vapidoque, vel ob ventriculi debilitatem chylo, vel ob inertem ſuccorum digeſtivorum activitatem, vel ob impuram recrementorum vitioſorum miſcellam maſſa ſanguinis pedetentim inficitur, unde pro varia illius labe, variae etiam in ſanguine mutationes fiunt, variique ſuboriuntur

untur morbi, praefertim viſcerum obſtructiones, ſcorbuticae, & hypochondriacae affectiones, aliaeque ſimiles aegritudines, quas optime vincit medicus, ſi in ventriculi corroboratione, & in chyli correctione omnes ſuas vires intendat. Redditur etiam acris, atque acida maſſa ſanguinis a liene, aut a jecore obſtructo, quia aut a ſeroſis, aut a bilioſis vitiatis humoribus per excretoria vaſa non bene ſecretis veluti coinquinatur, unde haemorrhagiae, cachexiae, hydropes, icteritia, & alii longi, & graves morbi naſcuntur, quibus vaſa reſerando, & ſanguinem repurgando optime medearis.

A ſemine intra ſuas cellulas in virorem mutato Epilepſia excitatur; ut narrat Zachutus prax. admir. lib. 2. obſerv. 119. vidit enim in cavitate vaſis ſemen in penem deferentis, quae licet conſpectum quodammodo Anatomicorum fugiat, & coitus tempore ſolum aperiatur, tamen ea ſemine in virorem mutato oppleta viſa eſt, ut ulceribus ſordidis ab hac virulenta ſubſtantia retenta, & corrupta forte contractis conſpurcata, e quibus aſcendebat indeſinenter aura noxia, cerebrum lancinans, excitaverit epilepſiam, aegrumque ad interitum deduxerit. Bilis flava ſaepe numero in atram mutatur in morbis, qua de re ſaepe obſervavi delirio in acutis morbis ſupervenire metum, & moerorem, qui ut plurimum convulſione finiuntur; quod contigit Thaſiae, & pluries ego in aegris meis obſervavi. Vidi etiam ſaepe humorem melancholicum aut diſſolutione, aut mixtione aliqua in bilioſum migraſſe humorem, ideo dicebat Hippocrates a metu ad furorem fieri egreſſionem, quem tamen febres ſanant, & arctiores ſomni. Sic in Socrate, qui moderati hominis exemplar fuit, protervitates, & inſolentiae dictorum ſigna ſunt inſaniae a bile flava in atram tranſeunte productae. In Thraſone vero, & Dealcis uxo-

re moderatio, & temperantia lethargum indicant atrae bilis in flavam mutatione. Pariter crebri eodem modo relapsus, qui sub crisim sunt vomitores, tabi atri vomitionem faciunt, eistunt etiam trimoriferi, quia bilis flava vertitur in nigram. Febres etiam intermissionis participes, quarum enormes sunt accessiones, idque autumno degenerant abunde in quaternas, bilis scilicet mutatione in melancholiam. Contra vero etiam hibernae febres quartanae nonnumquam in acutas transeunt, ut medentibus saepe observare datur humore melancholico, in humorem biliosum degenerante.

Aliquando etiam mala supra mala fiunt depravata humorum commixtione, & propagatione, ut notat Duretus pag. 375. in coacis praenotionibus, ideo epileptici fiunt melancholici, & melancholici fiunt epileptici; quia bilis flava, & bilis atra adaucta tam in uno, quam in altero humore majori malignitate ad invicem coinquinantur.

Fit saepe etiam melancholiae & maniae invicem mutatio, ut in egregio adolescente, & in quodam ignobili homine hoc anno observari. Epilepsia etiam in Apoplexiam transit, quandoque vero Apoplexia in epilepsiam, quod in Aeditimo curam sacrarum rerum gerente observavit Forestus obser. 80. Epilepsiam etiam excipit stupiditas, & dementia. Exquisitae febres in nothas degenerant putridorum humorum commixtione, febris pariter imputris a Galeno dicta ob depravatam commixtionem, putrida fieri potest: ideo Galenus eam curat venae sectione, & purgatione. Febri tabidae hemitritaeus supervenit, nam propter nutritiarum partium impuritatem congerunt cruda, propter calorem febrilem bilem accumulant, a quo duplici excremento semitertiana progignitur.

Tandem febres fere omnes ideam mutant humorum

rum commixtione, uti observatur in tertiana in continuam migrante; depravata enim bile chylus coinquinatur, a chylo autem impuro sanguinis massa, cum qua commiscetur, & ob hanc humorum commixtionem in dies magis magisque vires suscipiunt morbi in graviores quotidie degenerantes.

Depravatus etiam chylus a bile in majorem corruptelam degenerat ratione lymphae, quae a chylo in ejus transitu, per lacteas venas commiscetur; qua ratione breviores febres, & acutae in longas degenerant lymphaticas dictas, quarum in curatione diluentia, si acris, & dissolventia, si viscida, & tenax sit lympha, veniunt exhibenda medicamenta.

CAPUT VII.

De successione Morborum vitiosae materiae ad solidas partes propagatione.

In omnibus morbis principio fluidum, in progressu solidum, ut notat Baglivius, afficitur. Pariter solida fluidis, fluide solidis vitia sua participiant, cum a fluidis irritentur, aut laxentur solida, & solida irritata, intenta, & crispata, uti etiam nimium laxata mille modis fluidorum cursum perturbant.

Praecipue vero haec fluidorum vitia propagantur a solida in menstruorum, aut gonorrheae suppressionibus, in quibus saepenumero tabes pulmonaria succedit. Haec morbornm successio non statim fit, suppressa nempe materia vitiosa, & ad pulmones delata; sed primum sanguinis massa inficitur, inde vero circulationis medio in molli pulmonum parenchymate extraneum aliquid, & excrementium deponitur, a quo novi tumores excitantur, qui pro materiae genio saepius in citam putrefactionem sunt dispositi; ex quibus postea tabes suboritur fere semper incurabilis, &

lethalis, utpote ab inexhausta minera materiae in habitu corporis latitantis dependens. Otho Heurnius obse. octava narrat de virgine in Tabem pulmonariam delapsa ab retentis menstruis; vidi & ego plures mulieres, & virgines praecipue rusticas, quae ex retentis menstruis in pulmonariam Tabem delapsae sunt. Ex celtica vero Lue intro pulsa, & a solidas partes propagata plures referre possem historias. At prae omnibus sit illa, quam mihi nunc temporis, quo haec scribo, contigit observare. Vir optimae naturae, aetatis floridae ulceribus sordidis venereis & scroti, & glandis, localibus tantum medicamentis sanatur; post annum febri acuta continua cum tussi, & pulmonum phlogosi aggreditur; hinc ex acuta febri in hecticam fit transitus, & tuberculis in pulmonum substantia excitatis tandem post octavum mensem tabe pulmonaria consumptus, mortuus est.

At ex humoribus etiam inflammationem aliquam producentibus phthisica febris quandoque excitatur, a qua fibrosa solidorum substantia consumitur. Quod notat Galenus lib. 1. de differentia febrium Cap. 9. *ego*, inquit, *quidem vidi ex laxioris intestini* (*Graeci collon appellant*) *inflammatione diuturna febrem tabidam fuisse sequutam. Item ex similibus stomachi, vesicae, ac renum affectibus, nec minus a tali febri nonnulli sunt capti, qui dysenteriam patiebantur, cum scilicet intestina inflammatione laborarent. Ex levitate etiam intestinorum, & longo profluvio, cum scilicet, vel ab initio statim, vel progressu temporis febricula invaserit, tabidae febres consequuntur; & ut simpliciter dicam, quando praeexsiccatum cordis corpus febrilem caliditatem, quae cum difficultate amovetur, acceperit.* Sed haec de successione Morborum tum animi, & corporis; tum solidorum, vicinitatis, consensus, & officii ratione; tum etiam fluidorum translatione, mutatione, & propagatione ad solidas partes dicta sunto.

F I N I S.

VIII. TRA-

2.

VIII.

TRACTATUS
DE SALUBRITATE FEBRIS

per

H. F. VAN DER STADT

M. L.

Gandavi, 1768.

PRAEFATIO.

Febrem aegritudinem esse, candide Lector, omnium communissimam ac frequentissimam, non est qui inficiabitur. Etenim hujus morbi tanta est frequentia, ut raro contingat aliquem reperiri, cujuscumque aetatis fuerit, sexûs ac temperamenti, qui molestis Febris insultibus aliquando non fuerit attactus. Mirum mehercle! aegritudinem undique adeo vulgarem, ab ipsis tantum non medicinae principiis, ad nostros usque dies, tam variis disputationibus ac controversiis occaosinem dare potuisse. Innumerae, cùm veterum, tum recentiorum sententiae, eaeque plurimum discordantes, de natura, aethiologia, ac cura Febrium undique prostant. Nonnulli experientia rerum Magistrâ edocti, Febricitantes vel sine Medici, aut medicinae praesidio indies sibi perfectam sanitatem recuperare, Febrem ex se medicatricem, nedum pertimescendam affirmare non dubitarunt: Hinc insignem differentiam inter mortem a Febre, & mortem cum Febre, ipsi asseruerunt. Aliis autem hoc Febris encomium suspectum visum est; nam cum perraro etiam accidat, ut homo periculose aegrotaverit, aut morbo pereat, absque eo quod simul febricitet, Febrem morbum ex se perniciosum, infinitorum malorum, ac denique mortis causam recognoverunt. Utut sit, tot sunt & tam varii Viri illustres, tam veteres, quam moderni, qui ad intimius perscrutandam Febris genuinam indolem, indefesso labora insudarunt, ut in ingentem molem accreverit catalogus Librorum, qui circa theoriam, ac therapiam Febrium undique prostant. Veteres primi artis Magistri, indagationes & notiones physicas

non exſpatiantes ultra prima principia ſenſibilia corporum, certas agnoverunt qualitates, quibus jam dicta principia manifeſtarentur. Hae qualitates erant nimirum: calor, frigus, ſiccitas, & humiditas: atque his interſtinguebantur elementaria quatuor principia ignis nempe, aër, terra & aqua. Eaedem qualitates conſiteratae relativè ad noſtros humores, ut cauſae formales primitivae, & ſanitatis, & morborum habitae ſunt. Ubi illae in corpore humano exiſtebant inter ſe in certa temperatura, homo erat ſanus, ſin hâc temperaturâ & aequilibrio adempto, qualitas altera alteram ſpectabiliter excederet, fiebant intemperies, & illae intemperies erant morbi. Atque in hac idea omnibus morbis ad intemperiem calidam, frigidam, humidam, vel ſiccam relatis, Febris calore adeo ſenſibilis conſiſtere viſa eſt in intemperie calidâ ortâ à calore ſive igne naturali praeter naturam aucto, à cujus impenſiori activitate cuncta Febris phaenomena, inter quae & ipſa arteriarum accelerata actio comprehenſa fuit, deducta ſunt.

Ad extinguendam hanc flammam & moderandum ignem adeò exceſſivum, remedia refrigerantia prima facie maximè opportuna habita ſunt. Sed, quod paradoxum ipſis viſum eſt, fefellit haec medendi ratio; cùm interim obſervatio evinceret, Febrem vel abſque ullo Medici aut medicamentorum praeſidio, indies ſibi perfectè mederi, omnibusque exactiori mentis trutinâ ponteratis, calorem nativum ex ſe ſalubrem, naturam medicatricem, quin animam cuncta intelligentem, ac ſapienter dirigentem *a*) recognovêre:

a) Et videtur ſane mihi id quod calidum vocamus immortale eſſe, cunctaque intelligere, & videre, & audire ſentireque omnia, tum praeſentia, tum futura. *Hippocrat. lib. de carnibus.*

Anima & natura nihil praeter calidum innatum. *Galenus de palpit.*

vêre: atque his ita animo conceptis, pro lege numquam violandâ ſtatutum, ac poſitum eſt, calorem nativum non modo non exſtinguendum, ſed ad gradum coctioni opportunum perpetuò promovendum eſſe. Cùm autem auctus hic calor ſive Febris rarò ſola obſervaretur, ſed ut plurimùm varia mala ſymptomata ſibi conjuncta haberet, haec mala ſymptomata non ad calorem nativum, ſive ignem innatum auctum, ſed ad unum calorem alienum ex fermentatione aut putredine productum, relata ſunt. Et hi duo calores videbantur adeo contrarii, & oppoſiti, ut numquam ſimul in eodem morbo exiſterent, quin inius lucta perpetua, ac pugna acerrima accideret. Quó tempore Medici erat, in acie caloris naturalis unà cum natura contra morbum tamdiù pugnare, dum naturam victuram, ac de morbo triumphaturam, coctionis nota praemonſtraret.

En quid de Febribus ſenſerit, & ſtatuerit primò veneranda retrò antiquitas: revera haec primorum Medicorum doctrina valde antiqua & obſcura eſt: ſed ſi longa dies artibus omnibus inſignia attulerit incrementa, an mirum, ſi medicina per adeo longam ſaeculorum ſeriem exculta ſuam quoque formam cum aetate commutaverit? Ex quo enim innotuit calorem, tam in ſtatu ſano, quam morboſo ab actione arteriarum in totum dependere, nunc flocci facimus, quae in veterum monumentis occurrunt de igne, ejusque nutrimento, humidô radicali, ſpiritu aëreo ſic dicto in plantata, calido innato, quod ex igne, à cauſa ignifera magis accenſo auctum, in eorum idea Febrem faceret.

Sed equidem qualiscumque haec doctrina fuerit, non quidem abſoluta & perfecta, quod veteres de ſolidarum partium facultate minus imbuti veras caloris & Febris cauſas non adaequatè cognoverint;

ſcire tamen licet, eos benè & adaequatè cognoviſſe, mechanismum Febris per actionem nativi caloris potiſſimùm abſolvi, eumdemque nativum calorem praeter naturam auctum, ſive calorem febrilem ſemper bonum eſſe & ſalutàrem; atque hunc ſalutarem calorem non confundentes cum iniquo calore alieno, illos ipſos fuiſſe, qui in complicatione aliorum morborum cum Febre, Febrem ipſam ejusque ſalutares effectus, ab effectibus noxiis & pernicioſis aliorum morborum probè diſtinxerint. Eſtò igitur, quod veterum doctrina de Febribus imperfecta ſit, & variis in locis exoticis referta ratiociniis, hae tamen non ideo minus vera, realis & pretioſa eſt: quare etiam quidquid de coctione, coctionis & cruditatis ſignis, ab antiquis ſcripto datum, adque nos translatum ſit, id ipſum utpote veris certisque principiis inixum, & conſtanti falli neſcia obſervatione ſtabilitum, firmiſſimo quoque talo ſtat, aeternùmque ſtabit: ſic ut non demirari ſubeat; eorum ad nos translata monumenta, nobis quoque eſſe inaeſtimabiles theſauros practicos, inconcuſſibiles veritates recondentes: Imo omni aſſeveratione affirmare fas eſt, quo magis à veteri medicinâ medicina receſſerit, eo magis errores multiplicatos, in infamem Medicos ſeſe immerſiſſe ignorantiem, ac artem medicam, in aegrotantium ſolamen divinitùs inſtitutam, magis funeſtam evaſiſſe.

Perſtitit tantum non hoc primum & Catholicum veterum dogma ad tempora usque *Harvaei*: ex quo autem hic illuſtris Anglus irrefutabili argumento ſanguinis itum per arterias, & reditum per venas erudito orbi palam fecit; hoc inventum adeo luciferum aeſtimatum eſt, ut ferè diſcoöperiri videretur, quidquid in *Esculapiadicà* arte jaceret abſconditum: mox itaque ut nimiopere vilis, & antiqua repudiata ac ex ſcholis expulſa eſt ea doctrina, quam ab olim tot

tot saecula tantis viris laudatam dederant. Corpus humanum consideratum est, ut machina hydraulica, embolus erat cor, sanguinis à centro ad circumferentiam per arterias, & à circumferentia ad centrum per venas in gyrum continuò ducebatur. In hujus circulationis integritate sanitatem, in ejusdem difficultate aut interruptione febrem, ac alios morbos consistere, stabat sententia: cùm autem sanguinis, spissitudo, aut copia libero circulo impediendo maximè apta viderentur, remedia dissolventia, incidentia, diluentia, Venae sectio aliaque evacuantia maxime opportuna habitá sunt in cura Febrium. Alii, qui alias cuderunt hypothefes, & vel ob id longius a via abiere sustinuerunt, essentiam Febris collocari debere in una fermentatione praeternaturali, quae a fermento peregrino, mediante salis acidi & alkali connubio, in sanguine excitabatur: in hac idea succi in coagulum cogebantur, sua deleteria prosapia fermentia humores inficiebant, ac tandem ipso fermentationis aestro, insignis adeo orgasmus, turgescentiaque intuùs ciebatur, ut vasa nimium quantum distrahi, quin crepaturam minari viderentur: hinc iterum Venae sect. ad virium usque collapsum non raró instituta, remedia acidum absorbentia, dissolventia, incidentia Febrifuga maximê congrua ac efficacia credita sunt: & protinus etiam neglectis, ac vilipensis, quae de calore, de coctione, de crisi tam apposite, & tantâ cum industriâ à majoribus scripto tradita fuerint, novitatis amantium animos commenta adeo usque irretivêre, ut naturâ parum pensi habita universum curae Febris negotium arti tribuerint.

En fructum, quem incondita Medicorum curiositas impenso aeorotantium praejudicio exprompsit, ex tam famoso ac celebri invento. Nec hoc alicui mirum esto: nam haec cognitio, utut non exigui momenti,

momenti, non habuit cum morbis organicis connexionem satis immediatam, quae ad artis medendi progressum adeo contribuere poterit, quam plerisque Medicis visum est.

In tam insigni rerum Medicarum confusione, opportunè in Hollandiâ ortus est insignis *Boerhavius*, hic illustris Medicus, cùm in neotericorum scriptis haud inveniens, quod animo veritatis avidissimo satisfaceret, veterum monumenta adiret, eaque exactiùs mente revolveret; obstupuit quodammodo tantum truditionis, & tam liquida realis doctrinae specimina ibidem reperiri; cùm interim tot pretiosa dogmata, totque instructiva observata neglecta, repudiata, ac Scholis proscripta dispiceret, indignatus acriter increpuit incautos, eosque erroris, ac criminis reos arguit, veterumque doctrinam de novo in medecinam introduxit, & quod in eâ obscurum fuit, illustravit; ostendit calorem nativum, non juxta mentem veterum, esse principium facultatum & actionum partium organicarum, sed ipsas facultates & actiones eorumdem partium esse principium caloris; hinc cordis & arteriarum actionem à causâ irritante praeter naturam acceleratam non esse Febris symptoma, sed ejus veram, formalem, & immediatam causam.

Nae! haec detecta veritas non parvi Medicinâ momenti fuit; imo super mechanismum corporis humani & morborum multo majorem claritatem sparsit, quàm celebre inventum *Harvaei*: est enim organica cordis & arteriarum actio, quae non modò in nobis facit circulare sanguinem, verùm qui nativum calorem excitando, unà cum actione ejusdem caloris etiam est causa omnis elaborationis, perfectionis, & imperfectionis humo-

humorum; adeò ut memorata haec actio in quolibet morbo, antiquitùs sic dicto calido, vel frigido, fundamentales suggeret indicationes quae in curandis his morbis Medicum dirigunt. Enimverò, si hic insignis Medicus, dùm praestans antiquorum dogma tam strenue defendit, & veram nativi caloris, & Febris causam tam bellè explicavit, nativi coloris salutares effectus cum antiquis percognovisset, & cum iis eundem salubrem calorem nativum à noxio calore alieno probè distinxisset, ad excelsum perfectionis fastigium Artem Medicam extulisset; sed quòd iniquia voluere vata, nefas existimavit *Boerhavius*, hoc in puncto antiquorum placitis assentiri. Cùm enim viro perspicuo notum esset, mala accidentia Febri socia, ad praetensum calorem putredinis aut fermentationis referri non posse; pro rato habuit, ea ad Febrem ejusque excessivum calorem referri debere; & huic opinioni eò firmiùs adhaesit, cùm Febris non modò ex unâ cordis & arteriarum acceleratâ actione, sed & ex insigni resistentiâ oriri ipsi visa sit; & sane ex hujusmodi Febre varia mala accidentia derivare ipsi difficile non fuit. Imprimis frigus, inter initia Febrium ferè praesens, utpote primus effectus hujus duplicis causae, primum quoque Febris phaenomen essentiale habitum est. Post frigus à binâ eadem caussa sibi opposita, magno nempe motu partium ex corde, & magna resistentia vasorum contra cor, oriri etiam videbatur vehemens attritus molecularum sanguinis, tum inter se, tum ad vasa; unum phaemomen non modò ex se valde periculosum, sed quod in nobis etiam excitaret unum calorem excessivum, ardentem, destructivum, qui ex fluidis liquidissima dissiparet, reliqua densaret, sales oleaque sanguinis attenueret, acriora redderet, subitoque multos celeres

peri-

periculosos lethales morbus produceret. *Vide Aphor.* 1689.

Qualiscumque autem fuerit haec sententia, Medici ad effata unius Doctoris, cujus augusto nomini Europa universa assurgit, ut ad oracula confugientes; viri doctrinum; ut falli nesciam ferè tenuerunt; & jurantes in verba tanti Magistri, quaevis vel pessima aliorum morborum febrem commitantium symptomata, ab antiquis tam appositè ad calorem alienum relata, cum suo Patrono symptomata Febris acclamarunt. Ubi igitur causa maligna subtili sua acredine cor & vasa irritando, & accelerando Febrem faceret, & simul spiritus animales ad motus anomalos concitando, spasmum etiam produceret, omnia spasmodica pathemata, quamvis horrenda, ad Febrem relata sunt! & talis Febris maligna nuncupata. Si heterogeneum prosapià colliquativa infestum, diarrhoeas, sudoresque colliquativos praeter Febrem poneret, haec symptomata iterùm sunt imputata Febri, & hanc Febrem colliquativam pronuntiarunt: denique vomitus, singultus, syncopes, aliique morbi pessimi, hic & nunc Febrem concomitantes, pro genuinis diversarum specierum Febrium dependentiis, & symptomatibus habiti sunt. Quin hic error, quod mirandum, animos medentium usque adeo obnubilavit, ut cùm Febris tot malis producentis ineptissima visa fuerit, omnia haec mala symptomata, ad praetensam quamdam Febrem clandestinò malignam, sub benigna facie ea excitantem, referre non dubitaverint.

Quantum detrimenti in genus humanum inde redundaverit, facilè nemo dixerit etenim indubitatum est, quod Medici, cum tot morbis adeo periculosis Febrem confundentes, non modò numquam penetrare valuerint usque ad veram Febris natu-

naturam, ſed quod haec confuſio ipſis etiam abſcondere debuerit veras cauſas illorum morborum, qui ſoli in cura Febrium acutarum à Medico tolli deſiderant; ſic ut non mirari ſubeat, quod Medici horum morborum cauſſis incognitis, & perniciosis eorum effectibus Febri imputatis, morbis ipſis intactis, ſolam Febrem, ejusque praetenſam duplicem cauſam aggreſſi ſint; unde factum eſt, ut diluentia, ſaponacea, diſſolventia, anodina, refrigerantia, venae ſectio, aliaque remedia incongrua, ne dicam maxime noxia, adeo efficacia habita fuerint in curâ acutarum Febrium.

In hoc ſtatu vel noſtris diebus ſita erat Febrium ratio, dum Dei clementiâ in Galliâ reſuſcitatus eſt inſignis *Queſnayſius*, qui poſtquam veterum monumenta, cum iis quae neotericorum erant, ſtudioſè contuliſſet, ac varios pernicioſos errores acutiſſimâ ingenii ſui acie enucleaſſet, tandem involutum rei verum auſpicatò evolvit: & ſuper theoriam Febrium adeò inſigne lumen effudit, ut in tam claro & ſereno die nemini amplius liceat cecutire.

Irrefutabili ipſe argumento oſtendit, Febrem, quamvis ad mentem veterum in calore non conſiſtat, ſed ut docuit *Boerhaavius*, à parte rei ſit morbus organicus, natus ex aucto & accelerato cordis & arteriarum motu; à *Boerhaavio* tamen abuſivè deductam fuiſſe ex unâ reſiſtentiâ ad capillaria, hinc Febrem non tantùm non producere, ut hic auctor voluit, unum impetum ac calorem tam vehementem, ſed econtrâ cordis & arteriarum actionem, utcumque acceleratam, numquam augère calorem, qui ſuperet calorem naturalem ultrà unam decimam. Febrem adeoque non tantùm non eſſe morbum adeò horrendum, ſed tùm per ſe, tum per actionem caloris conſtanter ſubigere, concoquere, & expellere humores morbificos,

 ſicùt

ficùt actio cordis & arteriarum cum calore inde nato in ſtatu ſano ſubigit, concoquit, expellitque humores naturales; hinc ſi tot infenſa ſymptomata, indies Febri ſocia, ab antiquis malè relata ſint ad unum praetenſum calorem putredinis, aut fermentationis, ea equidem minimè referenda eſſe ad Febrem, ſed ad morbos à Febre omninò diſtinctos, ad morbos nempè, qui unà cum Febri nati ex eodem heterogeneo, unâ quoque cum eâ conſtituant morbum compoſitum, in quo morbo non Febrem, quaé ſemper bona & ſalutaris eſt, ac coctionem ſemper & criſim molitur, ſed ſolos morbos Febri oppoſitos, ejusque ſalutifera conamina impedientes, omni arte medicandos ac removendos eſſe. Adhaec *Quaeſnayſius* Febris eſſentiam, ejus phaenomena, ac ſymptomata erudito orbi tam graphicè, tam iconicè, depinxit, & de genuina morbi natura ac aethiologia, tam liquidè, tam diſertè, tam doctè diſſeruit, ut inter illuſtres Medicinae Doctores ſui temporis, primas ſibi facilè vindicaverit. Imo dicere fas eſt, eum hoc tanto ſibi benficio, & Medicos, & aegrotantes adeò demeritum eſſe, ut non modò optimo jure Medicus Febrium per excellentiam nominari mereatur, verùm ut & de inſigniſſimo hoc viro univerſa Medicorum cohors pleno ore ebuccinet, quod ab olim de *Sydenhamo* ebuccinavit *Boerhaavius*: „Unum eximium habemus *F. Queſnayſium* Galliae lumen, artis phoebum, quem quoties contemplamur, occurrit animò „inſignis viri ſpecies: de cujus erga Rempublicam meritis numquam ita magnificè dicemus, quin ejus id „ſit ſuperatura dignitas.“

Hujus itaque magni Doctoris volumina impenſà voluptate, & utilitate continuâ manu verſavi. Cùm autem Viri ſapientiſſimi opera idiomate Gallico exarata ſint, ac animadvertenti, haec aurea monumenta, potiſſi-

potiſſimùm quae Febrem morbum ſalutiferum convincunt, majoris momenti eſſe, quàm ut ſingulari & non omnibus omnium gentium Medicis apto idiomate exponantur, mentem ſubit multis haud admodum ingratam rem fore, ſi ea de Febribus pretioſa dogmata univerſaliori, & omnibus omnium gentium Medicis aptiori idiomate quodammodo incuſa, publicam lucem aſpicerent: ad hunc ſcopum direxi tela; quae igitur de ſalubri Febris mechanismo, ex calamo meo hic in lucem produnt, non meo marte concinnata, ſed ex *Queſnayſii* aliorumque celebrium Auctorum ſcriptis exprompta, & eo quo invenies ordine in unum tractatum congeſta accipito: ego interim, qui in ſcribendo nec uſu ſatis, & facundiâ parum poſſum, plurimum opto, ut qualiscumque hic labor fuerit, is tandem in Reipublicae Medicae vergat utilitatem, ſi his noſtris ſcriptis quid utile Medicinae contulerim, forſitan tentandi majora occaſio dabitur; ſin minus id molienti veniam concedet Lector benevolus.

TRACTATUS
DE SALUBRITATE
FEBRIS.

CAPUT PRIMUM.
DE NATURA FEBRIS.

Febrem, quae à *fervore* nomen habere creditur, non consistere ad mentem veterum in aucto calore nativo, neque etiam ut voluêre recentiores, in unâ praetensâ fermentatione praeternaturali, sed à parte rei esse morbum organicum ex aucta & acceleratâ actione cordis & arteriarum productum, ex modernis nemo amplius est, qui cum *Boerhaavio* non affirmaverit. Utrum autem haec formalis causa ad Febrem cum omni suo symptomate producendam, una sufficiat; praeterea, utrum Febris ipsa morbus sit ex se salutaris, qui nimirum causam suam morbificam nunquam non subigit, coquit, expellit, aut econtrà, morbus non salutaris & non rarò plenus periculo, quaestio est inter Medicos nec dum decisa.

Veteres Febris essentiam collocantes in aucto calore nativo, primi sunt, qui sibi de hoc morbo optimam formarunt ideam. Ipsi sustinuerunt, calorem nativum in statu sano humorum concoctivum, etiam subigere, concoquere, & exterminare humores morbificos,

bificos, à quibus dictus calor aliquandò praeter naturam intenderetur. In hâc ideâ Febris ipsis videbatur is morbus esse, qui sine Medici, aut medicamentorum ope, per se aegrotantes à morbo vindicaret. Sed morbus aegris tam favorabilis rarò observabatur solus, aderat ferè unà cum eo unus alius morbus, ex se perniciosus, consistens in calore non nativo, nato ex putredine, aut fermentatione: hi duo morbi, & bona & mala symptomata producentes, constituebant morbum compositum, symptomata bona ad calorem nativum, mala autem & perniciosa ad calorem contra naturam referebantur; erantque duo illi calores hostes adeo infensi, ut quoties in eodem morbo alter alteri occurreret, pugna fieret acerrima: & à fortuna hujus pugnae, credebatur aut aegri salus aut ruina dependêre. Hanc doctrinam, quae diu admodum cum felicissimâ praxi floruit, & in veneratione habita fuit, post inventum circulum Medici sibi visi magis perspicui, ut nimis antiquam, & obscuram deserere & repudiare coeperunt: ad varia exotica commenta, magno artis detrimento, sese conferentes. Sed egregius *Boerhaavius*, maximo Medicinae bono, omnia iterum restituit, veterum doctrinam de calore, de coctione, de crisi, à Medicis memoratis neglectam, ac vilipensam, pristino honori restituit, in medicinam introduxit, ac illustravit.

Ipsus est, qui ostendit calorem nativum antiquis visum principium vitae & causam actionis cordis & arteriarum, à parte rei esse ejusdem actionis effectu, adeòque eamdem actionem revera producere illum ipsum calorem, in quo reposuerunt veteres essentiam Febris. Sed quamvis *Boerhaavius* antiquorum doctrinam tam animose defenderit, tamen nunquam sibi potuit persuadêre, ut cum iis Febrem ejusque calorem per se semper salutiferum crederet; econtra sustinuit, quod

quod Febris, tantùm abeſt, ut morbus adeo ſalutaris ſit, ſaepè numero producat unam agitationem & calorem exceſſivum, unde hic & nunc ſcaturiunt omnia vel peſſima ſymptomata, quae ab olim à calore contra naturam derivarunt veteres; ſed, quod hic benè notandum, tot infenſa phaenomena hic auctor non derivavit à Febre, quatenùs excitata ab unâ cordis & arteriarum aucta & accelerata actione, ſed in ea fuit ſententia, quod dum heterogeneum febrile cor & vaſa ad celeriores motus exſtimularet, etiam acredine ſua prehenderet, & ſpasmo afficeret vaſa minima capillaria, aut quod viscidum quoddam ſive ſpiſſum ſua immeabilitate ea vaſa immanè quantùm obſtrueret, ac infarciret; quodque ibidem exinde poneretur inſignis reſiſtentia, & quod Febris à duplici hac cauſſa excitata, non poſſet non producere unum impetum, & attritum vehementem molecularum ſanguinis, tum inter ſe, tum ad vaſa, unum phaenomen non modò ex ſe periculo pleniſſimum, ſed ex quo neceſſariò etiam produci deberet unus calor admodùm vehemens, ardens, deſtructivus, unde ipſi ſcaturire videbantur omnia mala ſymptomata, qua à calore putredinis aut fermentationis derivavit antiquitas: vide *Aphor.* 592. 593. 689. cùm autem omnia haec ſymptomata in omni Febre haud obſervarentur, repreſentavit ſibi unam Febrem in genere, & opus eſſe judicavit ea eligere ſymptomata, quae Febri ſemper adeſſe credidit, quorum nimirum cognita praeſentia omnes Medicos doceret Febrem adeſſe, quorum autem abſentiâ Medici judicarent hominem à Febre immunem eſſe: haec ſymptomata erant nimirùm: pulſus velox, horripilatio, & calor. Febris ſic concepta in genere erat praedicabilis de multis ſpeciebus, ſingula ſpecies, praeter ſymptomata conſtitutiva ſui generis, habebat ſua propria, quae ſingulae

ſpe-

ſpeciei differentia: ſic ſopor cum Febre conſtituebat Febrem ſoporoſam, calor ardens, ſiccitas, ſitis inexplebilis erant ſymptomata Febris ardentis, calor mordicans Febris ſynochi putridae, & ſic de caeteris; Febris autem in genere, cum ſuis praeciſè ſymptomatibus, non niſi ſub conceptu exiſtebat.

En in ſumma, Benevole Lector, quae maximè notatu digna de Febribus antiqui & moderni temporis inauſtria in lucem dedit: cùm autem, ut jam vidimus, partium ſententia plurimùm etiamnum discrepet, ad dirimendum litem adeo ponderoſam, motiva hinc indè rationum momenta accurratè expendenda ſunt.

Veteres, cùm in igne naturali Febres eſſentiam collocaverint, ad imminuendum hujus ignis ardorem remedia refrigerantia omnium maximè opportuna judicarunt: ſed, quod mirum ipſis videbatur, experientia docebat, Febris curationem eò difficiliorem fieri quò magis is ignis extingueretur; experti etiam ſunt, Febres ſibi relictas, ſine ullo artis praeſidio quotidiè ſibi ipſis perfectè mederi; & hujusmodi febricantes, ut plurimùm multo citius, ac tutius ſanitati reſtitui, quàm ubi multâ remediorum farragine Medici Febrem dispellere molirentur: imo conſtanter obſervatum eſt, Febris curationem, ut plurimum eò promptius ſuccedere, quò Febris ejusque calor magis intenderentur; ex quibus omnibus veteres, non ſine fundamento, ſtatuerunt, calorem nativum, qui concoquit in ſtatu ſano humores naturales, concoquere & ſubigere etiam humores morbificos in ſtatu morboſo. Sed calor hac donatus praerogativa, non poterat in eorum idea in ſtatu praeternaturali eſſe ſalutaris, ſimul & non ſalutaris, concoquere humores morbificos; & ſimul eorum coctionem impedire; hinc tot mala ſymptomata, acutas & periculoſas Febres concomitantia,

 non

non videbantur eſſe poſſe effectus unius caloris adeo, ſalutaris; ſuſtinuerunt ergo, in hujusmodi Febribus unà cum calore nativo praeſtò eſſe unum calorem peregrinum, ex ſe perniciosum, & calori nativo adeò contrarium, ut inter duos hos calores ſemper acriter pugnaretur, & quod ſemper de aegro actum eſſet, dum calor nativus à calore alieno infenſo ſuo inimico vinceretur.

Boerhaavius Medicus oculatiſſimus, ſciens, quod actio, cordis & arteriarum nativum calorem produceret, docuit etiam ab eàdem actione, & inde orto calore in ſtatu ſano humores concoqui; nec ignoravit, indies dari Febres, quae ſibi relictae, non interveniente Medico optimè curarentur: benè etiam ſcivit, earum curationem ſaepè eò citiùs perfectiùsque fieri, quò impenſiori vehementia Febris mota fuerit; ſed tamen his non obſtantibus, numquam eousque venire potuit, aut voluit, ut cum antiquis Febrem, febrilemque calorem per ſe ſalutiferum crederet; & quare?

Boerhaavius dietim obſervavit in Febribus unum calorem valdè impenſum, novit autem hujusmodi calorem ab antiquis abuſivè deductum eſſe ex una fermentatione, aut putredine; hinc non dubitavit, quin hic exceſſivus calor eſſet effectus Febris; huic opinioni multùm ſuffragabatur praeconcepta Viri opinio unius reſiſtentiae ad capillaria, ex qua Febris ipſi videbatur producere unam agitationem inſignem, ardenti & exceſſivo calori excitando valde aptam: & in hac hypotheſi clarè etiam ipſi apparebat, qui fieret, ut Febris ſponte ſua ſine Medici praeſidio in ſalutem nonnumquam abiret, & cur id aliquandò eò citiùs promptiùsque fieret, quò Febris vehementior eſſet ac fortior: nam Febris, quae in ejus idea ex reſiſtentia ad capillaria agitationem calorem adeò vehementem induce-

ducebat, non poterat humores ita impensè exagitare, & calefacere, absque eo quod coagulum, ac acre febrificum inde etiam solveretur, coqueretur ac impensè immutaretur; hocque eò citiùs, quò agitatio & calor impensiores essent. Sed cum Febris vehementia *Boerhaavio* etiam valde periculosa & suspecta videretur, ideo praecepit, Febrem absolutè teneri debere in justo moderamine, ut nimirum pro coctione sufficeret, nec tamen evaderet tam vehemens, ut nocere posset.

Ex argumentis ergo hinc indè allatis clarè apparet, quod ad dirimendam hanc controversiam absolutè inquirendum sit, quid sit de resistentiâ ad capillaria, quae juxta mentem *Boerhaavii* Febrem producit; haec enim, si à parte rei subsistat, non est dubium, quin ex hoc fonte scaturire debeant ingens illa agitatio, & calor, & consequenter etiam omnia illa mala symptomata, quae *Boerhaavius* à Febre, ab hac causa productâ, derivavit.

Si vero supposita haec resistentia non subsistat, necesse est, ut corruat tota *Boerhaaviana hypothesis*, quae super hoc unum fundamentum superstructa est. *Quesnaysius* ex modernis primus, qui unà cum antiquis pugnavit pro Febris salubritate, resistentiam ad capillaria à *Boerhaavio* stabilitam, refutare contendit argumento sequenti: Videmus, inquit, sanguinem in Febre violentâ ex sectâ vena multo celeriùs exilire, quam in statu sano; atqui hoc fieri nequit, absque eò, quod sanguis eâdem celeritate transeat ex arteriis in venas sibi correspondentes, ergo haec impensior sanguinis cursûs celeritas evidenter probat, in Febre non esse resistentiam ad capillaria, quae circulum sanguinis re-

retardat. Hoc argumentum quidem benè concludit, ſed reverà non video, quid indè velit *Quesnayſius* contra *Boerhaavium*, qui veroſimiliter nunquam praetendit, ſanguinis curſum in Febre violentâ, ex reſiſtentiâ ad capillaria retardari, verum quidem eſt, quod hic auctor, *Aphor.* 577, habeat, humores ſanguineos inter initia Febrium, corde tunc minus contracto, & evacuato, ad capillaria ſtagnare; ſed exinde non benè concluditur, quod id praetenderit tempore caloris, dum nimirum ſanguis à magno motu partium ex corde cum impetu ad capillaria pellitur: econtrà patet ex *Aphor.* 587, quod *Boerhaavius* ipſam celeriorem liquidorum propulſionem inter effectus Febris enumeret; adeòque quod ſuſtinuerit, non, quod ſanguis in Febribus ob reſiſtentiam ad capillaria, ad capillaria ſtagnet, ſed quod ob dictam reſiſtentiam ſanguis per capillaria non niſi cum difficultate & attritu majori tranſire poſſit: absque eo tamen quod indè impediatur ſanguinis per capillaria tranſeuntis celeritas, quae motui cordis correſpondeat.

Sed quamvis *Quesnayſius*, argumento jam propoſito, contra reſiſtentiam *Boerhaavi* nihil probet, non credimus tamen, quod haec reſiſtentia ſubſiſtat, aut ſubſiſtere poſſit; nec concipimus, quomodo *Boerhaavius* omnem Febrem ex hâc cauſâ derivare potuerit. In primis certum eſt, quod inde derivari non potuit Febris cum debilitate, quod ſic probo; ut poſſit eſſe, aut ſupponi reſiſtentia ad capillaria, abſolutè requiritur, ut poſſit eſſe, aut ſupponi cordis & arteriarum vis ſufficiens, ad ſuperandam difficultatem tranſitûs ſanguinis per capillaria, ex reſiſtentia ibidem poſitâ oriundam: aliàs ſanguis in arteriis, & circa cor abſolutè congereretur, haec congeſtio ſingulo pulſu cordis aucta, mox fieret tam ingens,

gens, ut febricitantes brevi interficerentur; atqui illud majus robur nec eſt; nec ſupponi poteſt in Febre cum debilitate, ubi vires vitae multò minores ſunt, quàm in ſtatu ſano: ergo reſiſtentia, dato quod umquam ſubſiſtat, eſſet equidem omnino inconceptibilis in Febre cum debilitate. Sed dicet hic aliquis: cor ſtante debilitate nimis contractum, minus ſanguinis volumen evibrat in arterias; atqui minus ſanguinis volumen per capillaria facilius tranſit, & difficultas ſanguinis trajiciendi per capillaria, ex reſiſtentiâ ibidem poſitâ non videtur tam impenſa, quae minoris voluminis ſanguinis tranſitum impediat, ergo reſiſtentia ad capillaria in Febre cum debilitatè, non videtur obſtare poſſe, quominus ſanguis per capillaria liberè trajiciatur.

Reſpondeo in primis abſolutè negandum eſſe, minus ſanguinis volumen ex debili corde in Febre cum debilitate in arterias evibratum, faciliùs tranſire per capillaria, quàm volumen majus in Febre, ubi nulla debilitas eſt; nam ſi ex minori ſanguinis volumine in Febre cum debilitate naſcatur ſanguini per arterias capillares trajiciendo, aliqua facilitas, naſcitur in eâdem Febre ex aliâ parte, nimirum ex cordis & arteriarum actionis debilitate eidem ſanguini per eadem vaſa tranſituro, certa difficultas, quae cùm ſit ad minus tam magna, quàm facilitas petita ex minori ſanguinis trajiciendi volumine; liquet reſiſtentiam, modò in Febre cum debilitate ſubſiſteret, fore unam novam difficultatem, à debili cordis & arteriarum actione abſolutè inſuperabilem. Sed alii alia objiciunt: cor debile, inquiunt, quod ob reſiſtentiam ad capillaria unico ictu ſeſe evacuare, & debitam ſanguinis copiam per vaſa minima urgêre nequit, ictus ſuos ingeminat: ſic ut cor, quem ſanguinem

nem primo ictu per capillaria trajicere nequit, trajiciat ictu secundo.

Reverà hoc argumentum non malè concluderet, si conceptibile foret, quod hîc videtur supponi, nempe; si cor, spatio quo bis sese constringat, semel tantum dilataretur; nam supponitur cor primo ictu ob resistentiam semi evacuatum, sese integrè evacuare ictu 2do, quasi post primum ictum non dilateretur, neque sanguinem in sua cava reciperet; sed cùm notorium sit, cor numquam sese constringere posse, nisi post singulam sui constrictionem, à sanguine impetum faciente, identidem dilatetur, ac in cava sua tot sanguinis recipiat, quot per constrictionem praecedentem in arterias evibravit, manifestò liquet, cor, quotièscumque ictus suos ingeminaret, nunquam inde effici, ut adimeretur fatalis congestio, quam ex resistentiâ absolutè nasci debêre ante demostravimus.

Quod vero concernit Febrem cum aucto virium robore, fatemur praetensam resistentiam hîc non esse omnino inconceptibilem, posset enim concipi, quod aucto cordis & arteriarum robore superaretur resistentia, in hâc Febre ad capillaria supposita; sed an in hâc Febre ad capillaria supposita; sed an in hâc ideâ omnis hujusmodi Febris non absolutè foret morbus periculo insignis, plerùmque associatus illo ingenti numero malorum symptomatum, quae à magno motu partium ex corde, & magnâ resistentiâ vasorum contra cor necessariò producerentur? Sed an tale quid in omni Febre cum aucto virium robore experientia demonstrat? Numquid indies occurrunt Febres vehementissimae cum calore miti, blando & moderato quae tales sunt, & tales ad morbi usque ad finem manent, absque eo quod vel minimum pravum symptoma sese manifestet? Numquid experientia etiam probatum, & unanimi cùm veterum, tum recen-

recentiorum suffragio verificatum est, pulsum magnum & fortem, quo Febris intensio indigitatur, in omni Febre tutum, brevemque morbum significare? Si ergo resistentia in Febre cum debilitate absurda sit, & inconceptibilis, an videtur magis admissibilis, in Febre violentâ?

Sed frivolitas ejusdem resistentiae etiamnum luculentius apparebit, ex quo visum sit, à quâ ducta sit scaturigine, & quâ ratione: scaturire visa est ex duplici fonte, nimirum: ex vasorum capillarium constrictione spasmodicâ, 2do, ex unâ pretensa sanguinis densitate, sive spissitudine dicta vasa infarciente. Quod spasmum spectat; en eorum argumenta: inter initia Febrium, inquiunt, pallido corporis habitu monstrante, liquet vasa minima spasmo constricta esse, hac autem constrictione, impediri debet, quominùs sanguis per memorata vasa liberè transeat, hinc resistentia, qua posita, necessum est, ut sanguis ad capillaria stagnet, & in arteriis majoribus accumuletur; quò cor minus contractum, & evacuatum non potest sanguinem cum sufficenti attritu movêre, & exagitare, unde frigus, primum Febrium symptoma essentiale. Hoc argumentum ut prima facie non invalidum, propius examinatum prorsus nullum, frivolum & absurdum est.

In primis falsum supponit, inter initia Febrium sola vasa capillaria spasmo constricta esse, nam praeterquàm quod nulla ratio appareat, cur causa spasmifica potius prehenderet ac afficeret arterias capillares quam ipsum cor & arterias majores, experimur tempore frigoris, dum pallor extremorum capillarium spasmum demonstrat, pulsum parvum & contractum ostendere, cor & arterias majores simili spasmo affectas esse. Sed supposito, ex spasmo solorum vasorum campillarium resistentia, & realis sanguinis con-

congeſtio poneretur, an exinde inferri poſſet, cor vel eo minus contractum eſſe, & evacuatum? Nunquid cor & arteriae, ſentientes talem reſiſtentiam omni vi niterentur ſuperare, quod ſibi adeò reſiſtit? Prout videmus, dum tranſitus ſanguinis alicubi à parte rei impeditus eſt. Et gratis etiam dato, conceptibile foret, cor & arterias hac reſiſtentia & inde nata congeſtione ſanguinis usque adeò debilitari, ut non fieret agitatio procreando calori ſufficiens, an hujusmodi congeſtio unà cum cordis adeò inſigni debilitate ſingulo pulſu cordis non immane quantùm augeſceret, & omnes febricitantes abſolutè interimeret, tempore frigoris? Et ſi cupis, quod nimium, nec etiam hanc congeſtionem per ſe ſemper fatalem fore, quis capiet, quo pacto cor, & arteriae adeò debiles poſt frigus acquirerent, vires adeo impenſas, ad excitandum calorem, qualem poſt frigus à Febre excitari reſiſtentiae fautores paſſim ſuſtinuerunt.

Quomodocumque ergo res vertitur, & agitatur, liquet reſiſtentiam ex capillarium ſpasmo, & ortam inde ſanguinis in arteriis majoribus congeſtionem, planè abſurdam, frivolam, & inconceptibilem eſſe. Igitur frigus inter initia Febrium, & pulſus, qui tunc parvus, contractus & debilis eſt, neutiquam ſunt derivanda à ſpasmo, qui, ut Medici voluerunt, ſola vaſa capillaria conſtringens, facit, ut ſanguis verſus cor repulſus, ibidem ſtagnet, & cordis actionem impediat, ſed fiunt haec ſymptomata à ſpasmo ipſo, qui tam cor & arterias majores, quam vaſa capillaria prehendens, haec organa reſtringit, & eorum actionem ita imminuit, ut nec ſanguinem in ſufficienti copia in cava ſua recipere, nec ſatis agitare poſſint, ad intertinendum calorem: ſic ut frigus quidem ſit effectus ſpasmi, qui producit reſiſtentiam, ſed unam reſiſten-

ſiſtentiam, quae incipit ab ipſo corde, quod ſpasmo conſtrictum ſanguinem ex vena cava expeditè recipere nequit, ſic ut reverà non ſit in arteriis, ſed in venis ſpasmo minus obnoxiis, quod ſanguis accumuletur, prout color cutis violaceus, & polypoſae concretiones circa cor, in corporibus tempore frigoris extinctis repertae, luculenter convincunt. Quod vero ſcaturiginem alteram, ſanguinis nempe ſpiſſitudinem, concernit, unde ſaepenumero una reſiſtentia, & capillarium obſtructio fermè inſuperabilis oriri viſa eſt: affirmare non veremur, hanc ſanguinis praetenſam ſpiſſitudinem numquam exſtitiſſe, niſi in ſolâ errantium ideâ: verum quidem eſt, quod indies pellis dura, & craſſa febricantium cruori ſupernè inhaereat; neque diffitemur, quod ſectiones anatomicae ſaepenumero detegant, ſinus cerebri ac vaſa pulmonalia craſſo atroque ſanguine infarta, ſed abſit, ut haec ſufficiant, craſſi ſanguinis exiſtentiae probandae: nam quod in primis cruſtam phlogiſticam attinet, notorium eſt, hanc cruſtam non infrequenter ſine ulla ſanitatis laeſione reperiri in ſanguine hominis ſani, ubi ſanguinis fluiditas, & circuli libertas abſolutè ſupponi debent, praetereà extra omnem dubitandi aleam etiam poſitum eſt, non ſequi ex eo, quod ſanguis in pelvi tam craſſus & ſpiſſus appareat, eum talem eſſe, dum in vivo corpore per venas fluit: quò enim ſanguinis indoles per examen ipſius ſanguinis probè innoteſcat, non eſt ſanguis examinandus, ex quo per frigus jam in coagulum abiit, ſed immediatè à V. ſectione, tum calidus, fluidus, & etiamnum talis eſt, qualis fuerit in venis: perſpicuus *Quesnayſius*, qui febricitantium ſanguinem hoc ritu examinavit, expertus eſt, ſi ex hujusmodi ſanguine, dum vena pertunditur, una vel altera gutta in linteum cadat, hanc guttam linteo imprimere maculam mul-

multò latiorem; certa proba quod talis sanguis sit magis fluidus, ac dissolutus: Porrò videmus, inquit *Quesnayſius*, quod materia illa alba, quae in crustam adeò duram postea concrescit, sanguini supernatet instar olei admodum fluidi, ipso sanguine multò levioris; hinc, inquit, tantùm abest, ut sanguis hujusmodi adeò crassus, & spissus sit, ut econtrà sit valde subtilis, tenuis, & nonnumquam plus justo dissolutus.

Utrum autem ex examine, & reflectionibus jam factis sanguinis tenuitas, non magis quam ejus spissitudo ex crustà phlogisticâ appareat, tu ipse Lector judicabis.

Quod vero spectat spissum, in vasis pulmonalibus & sinibus cerebri non rarò conspectum, illud spissum, quod non est nisi effectus stasis sanguinis, qui interceptus, hic, pro ut alibi concrescit, sanguinem anteà crassum & spissum fuisse, etiam minimè probat; imo ille sanguis, qui hic in sinibus cerebri adeò spissus occurrit, idem ipse est, qui prius transivit per exilissima cerebri vasa arteriosa, ubi potius haerère debuisset, si fuisset tam crassus.

Sed si sanguinis spissitudo non subsistat, undenam Febres acutae & inflammatoriae tam saepè sunt adeò periculosae & fatales? Respondeo laesiones graves, quales humorum stagnationes, infarctus viscerum inflammationes, aliosque morbos periculosos, minimè dependère, ut Medici sustinuerunt, à vitio liquidorum, quatenus nimirum humores nimium densi, & per vasa difficulter trajiciendi vasa obstruant, ac infarciant, sed periculum ferè dependère à vitio ipsiusmet facultatis motricis, sive à spasmo, qui vasa minima constringendo, aut alio modo malè afficiendo liberum humorum transitum impediat, aut interturbet: concipe hinc, cur crusta phlogistica, utcunque dura,

& crass-

& crassa, ne vel minimum unquam arguat periculum, si simul cum ea indicia spasmi non dispiciantur.

Ex dictis, ni mea me fallat opinio, satis patêre arbitror, quid de celebri resistentià ad capillaria sentiendum sit, quae si non subsistat, nec subsistere possit, pro ut nunc abundè monstravimus, manifestò liquet, quod Febris non ex hâc resistentiâ, ut praetendit *Boerhaavius*, sed ex solà auctâ & acceleratâ cordis & arteriarum actione ortum habeat. Sed an Febris, ex hâc unâ causà producta, inferre potest unam adeò impensam humorum agitationem, quam ab hoc morbo independenter à resistentia ipsemet *Boerhaavius* derivare non potuit? Verum si à Febre insignis haec agitatio non producatur, ubinam est calor ille excessivus, ubi tot mala symptomata inde deducta?

At videmus, quod Febris sine malis symptomatibus semper regularis sit, causam morbificam, urinâ monstrante, semper regulariter & successivè concoquat, concoctam debito tempore criticè expellat, & aegrum, non interveniente Medico, perfectè sanitati restituat. Nihil ergo impedit, quominus Febrem morbum ex se salutarem, aegris admodum favorabilem, & sui ipsius medicatricem, unà cum antiquis omnes Medici agnoscant.

Salutaris tamen hujus morbi mechanismus, non juxta mentem veterum per solam perficitur actionem caloris, sed per duas actiones, nempe per actionem caloris, & per unam actionem, in qua Febris radicaliter consistit, nimirum per actionem cordis & arteriarum: hae duae actiones, sicut concoquunt humores in statu sano, ita eos unà cum causa morbifica subigunt in statu morboso, primâ actione, humorum & heterogenei, febrilis molecula magis agitatae, hinc multifariè unitae, disjunctae, variatae, alias extensiones, formas, figuras obtinent: quo spatio calor, in-

intimiùs penetrando usque ad ipſas dictarum molecularum particulas integrantes, texturam earum intrinſecam variè quoque ſubigit, alterat, immutat, idque donec morbi materia ſatis ſubacta, à cordis & arteriarum actione è corpore amandetur, aegerque convaleſcat.

Sed utcumque bonus ſit & ſalutaris hic mechanismus, naſcitur tamen morbus à cauſa irritante, à cauſa nempe, quae non ſemper unam producit Febrem, ſed quae ſimul cum ea non raró etiam producit Febrem, ſed quae ſimul cum ea non raró etiam producit varios alios morbos periculo graves: hi morbi, unà cum Febre conſtituentes morbum compoſitum, à parte rei inferunt prava illa ſymptomata, quae in idea *Boerhaavii* ad Febrem relata, conſtituebant tot periculoſarum Febrium ſpecies, de quibus una Febris in genere erat praedicabilis; quae praetenſae Febrium ſpecies, à parte rei ſunt tot Febres complicatae, ſive ut veterum more loquar, tot morbi compoſiti ex calore naturali & calore alieno; & quemadmodum ex veterum mandato Medici erat, unà cum natura manus conſerere contra Morbum, ſic Medicum oportet tuêri & defendere Febrem, dum omni arte oppugnat morbos Febri contrarios, ne nimirum illi aegrum vel ante criſim interficiant, vel conamina Febris ita impediant, ut debita coctio non fiat, & ſic aeger non ſine difficultate convaleſcat. Omnibus igitur benè conſideratis, Febris non malè logicè definiri poſſe videtur: *Spasmodicoſalutifera motûs cordis & arteriarum acceleratio*; ſive pró meliori intelligentia deſcribi, quod ſit certa & determinata morbi ſpecies conſiſtens in aucta, & accelerata cordis & arteriarum actione, nata à cauſa irritante, à quo morbo abſolutè concoquitur, & expellitur materia morbifica unde dependet, ſi alii morbi, non raró ei comi-

tes

tes, salubria ejus conamina non impediant, aut inter turbent.

CAPUT SECUNDUM.

Phoenomena essentialia Febris.

Phoenomena essentialia Febris, quae sunt hujus morbi dependentiae primariae essentiales & inseparabiles, sunt nimirum augmentum celeritatis, roboris, & amplitudinis pulsûs, circulationis acceleratio, calor, rarefactio, humorum aucta agitatio, & actio caloris intrinseca in particulas integrantes molecularum humorum.

Haec phoenomena ex Febre essentialiter & necessariò promanare, ex notâ Febris essentiâ liquidò constat, nam Febris, in cordis & arteriarum motûs acceleratione consistens, debet in primis absolutè accelerare pulsum, & ipsam circulationem sanguinis; sed nec potest actio arteriarum magis accelerari, quin causa motrix ejusdem actionis magis etiam excitetur, impensiorique vehementiâ agat in texturam organicam eorumdem vasorum, unde augmentum roboris pulsûs à Febre absolutè etiam inseparabile est. Calorem autem esse dependentiam, & effectum necessarium auctae & acceleratae actionis cordis & arteriarum, nemo umquam negavit: hinc rarefactio, sequela necessaria caloris, & pulsûs amplitudo ex rarefactione nata, non possunt etiam non esse à Febre inseparabiles: quoad humorum agitationem, & intrinsecam caloris actionem, haec sunt Febris phoenomena maximè praecipua, illa existens sequela necessaria auctae celeritatis & roboris actionis arteriarum esse nequit, quin ex eo humorum & heterogenei febrilis moleculae, plurimùm alterari, & immutari debeant;

 quo

quo ſpatio, calor inde productus, utpote de ſe activus penetrat, agitque in particulas integrantes earumdem molecularum, quo coctio tandem peragitur: ita ut ſint, haec ipſa duo phoenomena, quae tamquam potiſſima naturae medicatricis inſtrumenta conſiderari debeant.

CAPUT TERTIUM.

Symptomata Febris.

Febris ſymptomata, ſunt ea Febris phaenomena, quae ſeſe ſenſibiliter manifeſtant, hinc ſunt ejuſdem morbi pathognomica & eſſentialia ſigna, ſuntque noſex nimirum: augmentum celeritatis, roboris, & amplitudinis pulſûs, augmentum caloris, reſpirationis aucta celeritas, & ſenſus dolorificus laſſitudinis.

Omnia & ſingula haec ſymptomata ſemper & inſeperabiliter Febrem concomitantur; licet in Febribus complicatis omnia haec ſymptomata non ſemper manifeſtè appareant: ratio eſt, quod in Febribus complicatis mechanismus Febris ab aliis morbis ſaepe ita impediatur, ut Febris vix ſua ſymptomata manifeſtare queat; hinc factum eſt, ut Medici, qui in Febribus complicatis Febrem, ab aliis morbis non diſtinxerint, aliorum morborum ſymptomata, dictis in Febribus magis manifeſta, pro ſymptomatibus Febris agnoverint: ex quo anſa data eſt quarumdam objectionum, contra ſymptomatum Febris eſſentialitatem & realem exiſtentiam mox occurrentium, quae tamen à rei gnaris non erunt ſolutu valde difficiles, uti mox ex ſequentibus palàm fiet.

§. II. *Pulſûs aucta celeritas.*

Omnes omnium gentium Medici pulſûs auctam cele-

celeritatem pro vero ſymptomate & ſigno pathognomonico Febris ferè tenuerunt, & revera hujus ſigni praeſentiâ potiſſimùm edocemur, *Febrem* adeſſe: hîc autem benè notari meretur: ut aucta pulſûs celeritas *Febrem* ſignificare valeat, opus eſſe, ut haec producta ſit a morbo, ſive laeſione ſatis gravi, & durabili, quae *Febris* nominari mereatur; aliàs pro ſymptomate *Febris* nequaquam haberi poteſt: ſic pulſus ab exercitio accéleratus, non eſt ſymptoma *Febris*, ſed exercitii: idem etiam de reſpirationis celeritate, aucto calore, ac aliis *Febris* ſymptomatibus intelligendum eſt.

Sed ecce prima objectio: in Febribus malignis, inquiunt, ubi non laevis aegritudo eſt, pulſus nonnumquam eſt naturali ſimilis; imo ſaepenumero magis tardus, quam in ſtatu naturali: ergo celeritas pulſûs non eſt ſignûm pathognomonicum Febris. Reſpondeo primò oppidò rarum eſſe, pulſum in morbis malignis non eſſe acceleratum; ubi autem id nonnumquam obtineat, Febrem adeſſe poſitivè negandum eſt: implicat enim motum arteriarum non acceleratum eſſe, & adeſſe Febrem quae in celeriori motu arteriarum conſiſtit, ſed nemini mirum eſtò, hic tales objectiones occurrere; cùm enim Medici Febrem ab aliis morbis numquam benè diſtixerint, comprehenderunt ſub nomine Febris malignae aliquos morbos malignos, qui à parte rei tales ſine Febre exiſtunt, & ſic factum eſt, ut in eorum ideâ aliquae Febres malignae ſine pulſûs celeritate repertae ſint.

§. III. *Augmentum roboris pulſûs.*

Contra augmentum roboris pulſûs haec objiciunt: ſaepe numero, inquiunt, inprimis in ſubjectis, V.

sectione vel aliunde debilitatis: arteriarum actionis celeritas plurimùm aucta est, ubi robur ejusdem actionis est imminutum: ergo pulſus robuſtus non eſt ſymptoma Febris inſeparabile. Reſpondeo hoc argumentum nullius eſſe momenti, nam ſi in ſubjecto debili febricitante, ob debilitatem à V. ſectione vel aliunde contractam, pulſus poſitivè robuſtus non ſit, eſt tamen robuſtus reſpectivè ad ſubjectum, ſive robuſtior ſtante Febre, quàm ſi Febris abeſſet, & hinc etiam eſt, quod tam in ſubjecto debili, Febris numquam grandeſcit, quin ad eumdem grandeſcat robur actionis arteriarum. unde apparet, praedictam objectionem nullam eſſe.

Sed accidit, inquiunt, ut etiam, ubi Febris augeſcit, pulſus debilior evadat; ergo pulſus robuſtus ſaltem tum eſſe ceſſat Febris ſymptoma. Hoc argumentum benè concluderet, ſi in caſu poſito ipſa debilitas foret una dependentia Febris, prout hic videtur ſupponi, nam non poteſt Febris eodem ſpatio pulſum invigorare, & debilitare: cùm autem debilitas ad Febrem non pertineat, ſed ſit ſymptoma unius morbi Febri oppoſiti, mirum non eſt, quod à morbo hujusmodi, actio arteriarum magis debilitetur, quàm ut eam actionem Febris poſſit invigorare, quò fit, ut loco roboris, ſola pulſûs debilitas ſeſe manifeſtet, quàmvis tamen ideò robur pulſûs à Febre, non minus exiſtat: nam ſi in caſu poſito Febris abfuiſſet, debilitas multò fuiſſet impenſior, ſic ut Febrem ſua ſymptomata ſemper & inſeparabiliter concomitentur, conformiter ad diverſos aegri ſtatus, & gradus complicationum.

§. IV. *Calor.*

Nullus dubitat, quin calor ſit phaenomen, & ſymptoma Febris; ſed hujus ſymptomatis varie-

varietas dubium peperit utrum revera ſit Febris phaenomen, & ſymptoma eſſentiale & inſeparabile: etenim praeter difficultates jam excuſſas, quae etiam de aucto calore moveri poſſunt, aliae ſunt, quae relativè ad idem ſymptoma non videntur minores: ecce quid objiciant: Calor, inquiunt, non omni ſpatio Febri comes eſt: Febris ſiquidem ferè cum frigore incipit, ergo non modò exiſtere poteſt absq. aucto calore, ſed cum reali caloris privatione. Hoc argumentum utut primà facie valde nervoſum, mox omnes vires perdit, dum in Febre conſideramùs duos morbi ſtatus ſibi oppoſitos: igitur tamdiu quàm ſpasmus, qui ponit frigus, dominatur Febri; hujus mechanismus adeò impeditus eſt, ut ipſa arteriarum actio, quamvis accelerata: multò debilior ſit, quam in ſtatu naturali; hinc nec mirum, ſi calor à parte rei ſit imminutus. Quod autem ſpectat actionis arteriarum auctum celeritatem, quae ſtante frigore ſeſe manifeſtat, & ponere deberet augmentum caloris, quo ſpatio calor re ipſà imminutus eſt; non eſt difficile hanc apparentem contradictionem ſibi conciliare, ad id namque attendere ſufficit, diminutionem caloris longè impenſiorem fore, ſi ſimul arteriarum actio non eſſet accelerata; ut adeò vel etiam tempore frigoris, augmentum caloris augmento celeritatis pulſùs ſemper correſpondat; quia diminutio caloris, nata ex ejusdem actionis debilitate, ſuperans augmentum caloris natum ex actionis arteriarum celeritate, facit quidem, ut calor ſeſe minus exiſtat, quoniam dicta actionis celeritas deficeret, protinùs etiam deficeret calor inde profectus; ſic ut calor dum vel ſeſe manifeſtare nequit, numquam non ſit verum & eſſentiale Febres ſymptoma.

Sed calor inquiunt, non ſemper reſpondet Fe-

 bris

bris magnitudini; poteſt ſiquidem eſſe parùm conſiderabilis in Febre valde intenſâ, & vice-verſa. Maſſa ſanguinea, ſupponas, in nonnullis vel à naturâ vel aliunde magis aquoſa, acquirendo calori minus apta eſt, ac maſſa ſanguinea magis denſa & inflammabilis. Praeterea arteriarum actio, tantò debilior eſt, quantò ſanguis eſt magis aquoſus: ergo quàm vehemens Febris exiſtat, non modò ex parte ſanguinis, verùm etiam ex parte actionis arteriarum, numquam non ſubſiſtit diſpoſitio calori multùm oppoſita.

Reſpondeo in primis hoc argumentum ſupponere omninò impoſſibilia, & abſurda, ſupponit enim Febrem aliquando fortem, & ſimul actionem arteriarum eſſe debilitatam, quod abſolutè repugnat; quia notorium eſt, totum robur mechanismi corporis à robore actionis arteriarum dependere, & utut non diffitear, Febrem à parte rei calorem ponere intenſiorem in homine ſanguine denſo & inflammabili praedito, quam in eo, in quo ſanguis magis aquoſus eſt, quod nemo umquam, quod ſciam, negavit; cave ne inde inferas, calorem in omni ſubjecto, non eſſe Febri proportionatum, quia calor fortior, aut demiſſior manet Febri proportionatus, ſi exceſſus caloris amplitudini Febris correſpondeat: id contingit tam in ſubjecto, in quo ſanguis magis aquoſus eſt, quàm in eo in quo magis eſt inflammabilis, quia ſi Febris, tam in uno, quam in altero ſubjecto increscat, experimur ad eumdem gradum increscere calorem: ſunt igitur in Febre ejusque phaenominibus, pro ſubjectis, & circumſtantiis, admittendae certae varietates; quae tamen non mutant, nec Febris, nec ejus phaenomenum naturam; cùm perpetuò inter haec ea maneat proportio, quae eſſentialiter requiritur, mi-

nimirum juxta dictas varietates, & statum mechanismi, Febris essentiam constituentis.

Sed independenter, inquiunt, ab his circumstantiis, calor nonnumquam valde sensibilis est, & molestus, ubi aeger vix febricitet, quin, aeger à Febre omninò immunis, saepè sentit calorem excessivum; ergo calor non est symptoma sincerè ostendens amplitudinem Febris. Solutio hujus argumenti non est difficilis, si calor verus, & physicus ritè distinguatur à calore non physico, sive ab illo calore qui à parte rei calor non est, sed sensus caloris: dum enim contendimus calorem esse symptoma Febris, id de calore vero, physico, sive de igne motu caloris animato intellectum volumus, non autem de sensu caloris, qui non à Febre, sed ab exoticâ quâdam acrimoniâ partes sensibiles aegrè feriente, ortum ducit: sic ut non mirari subeat, si aliqui, qui vix febricitent, aut à Febre omnino immunes sint, ab hujusmodi calore nonnumquam devexentur.

§. V. *Pulsûs amplitudo.*

Quoad pulsus amplitudinem, contra hoc symptoma etiam objiciunt, quod nimirum pulsus stante Febre saepè adeò restrictus sit, & ejus volumen adeò imminutum, ut exilitatem, & contractionem nedum amplitudinem prae se ferat: sed haec objectio, utpote aliis jam expositis omninò similis, eisdem etiam solvitur argumentis; nam hîc iterum cum Febre confunditur una affectio Febri adeò contraria, ut haec sua symptomata manifesta reddere nequeat, esset tamen pulsus etiamnum multò magis restrictus, si in casu posito Febris abesset; ex quo iterum liquet, pulsûs amplitudinem, quamvis haec non appareat, semper à Febre produci, & esse verum ejus

ſymptoma, imo unum ſymptoma maximâ attentione dignum: eſt enim ex vario ſtatu hujus ſymptomatis, quod Medicus de facilitate, aut difficultate executionis mechanismi Febris potiſſimùm debeat judicare.

§. VI. *Reſpirationis celeritas.*

Reſpirationis celeritas eſt unum ex ſymptomatibus Febris, quia eſt dependentia neceſſaria auctae celeritatis circulationis ſanguinis, nam ſanguis non poteſt per omnes corporis partes celerius circumduci, quin pari celeritate rapiatur per pulmones, quod ut fiat, neceſſe eſt, ut febricitantes reſpirent celerius, adeòque debet reſpirationis celeritas abſolutè eſſe à Febre inſeparabilis.

§. VII. *Laſſitudo.*

Quamvis laſſitudo ſit phaenomen non niſi ipſis aegris ſenſibile, ſic ut Medico de praeciſo ejus ſtatu non benè judicare liceat, tamen certum eſt, febricitantes de laſſitudine ſatis conqueri, ut haec pro ſymptomate Febris haberi poſſit. Igitur laſſitudo febrilis maximè ex eo videtur dependere, quod ſpiritus animales, ad organa circulationis pro accelerando eorum motu magis determinati, minus ferantur ad muſculos, qui motibus voluntariis dicati ſunt; unde minus expeditâ muſculorum actione, homo derepentè totus laſſus, & languidus evadit, & de poenibili laſſitudine conqueritur.

CA-

CAPUT QUARTUM.

Affectiones symptomaticae Febris.

Affectiones symptomaticae Febris, sunt illae affectiones, quae quidem instar symptomatum à Febre producuntur, sed non semper & necessario: imo potest Febris absque illis completè existere; sic ut eaedem affectiones considerari debeant, ut affectiones Febri accidentales, dependentes à peculiari temperamento, sive dispositione naturali febricitantium. Dicimus à dispositione naturali, ut excludamus omnem affectionem symptomaticam, quae in febricitantibus à dispositione morbosâ ortum ducens, utpote à Febre aliena, pro affectione symptomaticâ Febris haberi nequit, hae affectiones symptomaticae Febris sunt nimirum: sitis, siccitas, delor, & delirium de quibus singulatim nunc dicemus.

§. II. *Sitis Febrilis.*

Sitis numquam non pro Febris affectione symptomaticâ, quin à nonnullis pro vero Febris symptomate habita fuit; oriri quippe videbatur à calore, qui annuentibus omnium suffragiis, est Febris phaenomen & symptoma essentiale: calor namque Febrilis, in eorum ideâ, adeò excessivus erat, ut ex siccitate oris, oesophagi, & ventriculi inde ortâ, febricitantes ad humectandas has partes avidè potiones appeterent: quid! idem calor, ut nunc saepius diximus, sub eorum conceptu adeò excessivus erat, ut inde in partes solidas ariditatem, immanè quantùm periculosam induci certò crederent. Sed cùm praetensus calor adeò excessivus, ut nunc abundè probavimus,

vimus, non à *F*ebre, ſed aliunde ortum habeat, liquet ſitim *F*ebrilem ex inde derivari non poſſe.

Sitis in genere ferè à tribus oritur cauſis à defectu nimirum filtrationis liquidi, quo partes, quarum ſiccitas ſenſationem ſitis cauſat, humectari debent, vel ab acrimoniâ quadam aptâ in eisdem partibus excitare eamdem ſenſationem, vel denique à profuſis ſudoribus, aliisve excretionibus immoderatis, quibus ſanguinis vehiculum usque adeò deperditur, ut deficiat humidum dictis partibus irrigandis inſerviens. Ex unâ vel alterâ harum cauſarum ſitis *Fe*brilis etiam naſcitur: in primis obſervamus in bilioſis filtrationes humorum, quorum beneficio os, oeſophagus & ventriculus irrigantur, durante *F*ebre quadantenus impeditas eſſe: ad quod ſanè humor bilioſus à *F*ebre acrior redditus, non parum contribuit. Verùm ſitis hujusmodi *F*ebrilis, quae valdè moleſta eſſe nequit, longè aliena eſt, & facilè diſtinguitur, à ſiti illâ inexplebili, quae non a Febre, ſed à violentâ partium crispaturâ, arte quantociùs removendâ, dependet: praeterea, ut febris ſitim producat, requiritur, ut jam diximus, certa diſpoſitio naturalis, dependens à conſtitutione ſive temperamento febricitantis; haec major eſt in bilioſis, & ſanguineis, quàm in melancholicis, & pituitoſis: ita ut iterum haud difficulter colligi poſſit, qualis, & in quibus ſubjectis ſitis ad febrem referri debeat.

§. III. *Siccitas febrilis.*

Siccitas ad certum gradum ex febre etiam eſſe poteſt: hanc affectionem febris in certis ſubjectis ponit, quatenus nimirum quodammodo impedit filtratione, illorum humorum, quibus partes ſolidae noſtri corporis continuò irrorari, & humectari debent:

eſt

eſt enim ex ſiccitate eo modo productâ, quod praecedenti paragrapho ſitim febrilem derivaverimus, & quemadmodum ſitis febrilis, facilè tolerabilis haud difficilè diſtinguitur à ſiti illa moleſtâ, & intolerabili, quae ab aliâ cauſâ dependet; ſic ſiccitas à febre, quae non niſi levis eſt, & ſine periculo, multùm etiam differt, à ſiccitate & ariditate periculoſâ, quae aliunde ortum ducit, & cui quantocius omni arte occurendum eſt.

§. IV. *Dolor Febrilis.*

Dolor in nonnullis, potiſſimum, qui ſunt calidi temperamenti, poteeſt eſſe, & non raro etiam eſt una affectio purê Febrilis; ſanguis ſiquidem calore febrili rarefactus, in cerebri vel aliarum partium membranis, inducere potis eſt unam tenſionem, quae à nulla alia cauſa dependet: ſed dolor hujusmodi non poteſt eſſe valdè intenſus, quia calor moderatus, qualis calor febrilis, non aptus eſt inducere, niſi unam expanſionem & rarefactionem moderatam, quae numquam intenſè dolorifica eſt, unde liquet, vehementem & exceſſivum dolorem de quo toties conqueruntur febricitantes, non eſſe dolorem febrilem, ſed à parte rei dependêre à cauſa, quae partes nervoſas immanè quantùm laceſſit, diſtrahit, atque convellit: unde vehementem dolorem à febre alienum, à leviori dolore febrili interſtinguere non admodum difficile eſt.

§. V. *Delirium febrile.*

Quamvis delirium à febre non frequenter producatur, ac proinde rarò ſit ſymptomatica febris affectio: cùm tamen nonnulli ad delirium ita proclives ſint,

fint, ut vix umquam absque leni delirio febre corripiantur, videtur motus fpirituum animalium excitatus, ab arteriarum motûs activitate noftras ideas quodammodo turbare, ficque lene delirium inducere poffe; quà vero ratione id fiat, non ita liquet: etenim in delirio ideae ordinariae magna ex parte funt interceptae, ac ideae peregrinae eo fpatio animam occupant, eft quippe per abfentiam illarum idearum, & praefentiam aliarum, quibus aeger contra ufum rationis occupatus eft, quod aegrum delirare novimus, fed fola major fpirituum agitatio quidem apta eft, ut det noftris ideis activitatem majorem, non autem ut intercipiat ideas jam impreffas: ad hoc argumentum dico, quamvis ab aucta fpirituum agitatione ideae noftrae non intercipiantur, equidem conceptibile effe, eamdem agitationem fpirituum impertiri poffe impreffis noftris ideis talem activitatem, & animam afficere fenfationibus, tam rapidè & tumultofè reprefentatis, ut inde validum ratiocinium formari nequeat, ficque hujusmodi delirium, quod non nifi in rapiditate idearum, & in ratiociniis irregularibus & praecipitatis confiftit, effe omnino diftinctum, à delirio fpasmodico graviori, quod ab idearum interceptione dependet: fed eftò quod hujusmodi delirii fpecies oppidò rara fit, imo quod ad perturbandam prorfus rationem numquam exiftat; experientià compertum eft, homines ad delirium valdè proclives, tempore febris vix umquam delirare, quin fimul fint foporofi, & reverà hujusmodi delirium, non multùm differre videtur à fimplici infomnio cùm garrulitate: verofimile eft, fanguinem calore Febrili rarefactum in certis fubjectis hujusmodi infomnium, & delirium inducere poffe: quod, cùm non fit durabile, & febre remittente ut plurimùm etiam ceffet, haud difficilè mit-

diſtinguitur à delirio durabili, ſpasmodico & periculoſo, quod à febre prorſus alienum eſt.

CAPUT QUINTUM.

Cauſſae Febris.

Inter Febris cauſas prima occurrit *cauſa formalis*, hanc in una cordis & arteriarum aucta, & accelerata actione conſiſtere, capite primo luculenter oſtendimus, ubi de naturâ Febris differentes, refutavimus quidquid de calore, fermentatione, reſiſtentiâ ad capillaria, veteres & moderni Medici commentati ſunt. Quod autem ad febris *cauſam materialem* ſpectat, indubium eſt, labentibus cauſis jam memoratis, amplius etiam ſtare non poſſe, quidquid de humore calorifico, acido fermentativo, ac impermeabili ſpiſſo ſtatutum, & creditum eſt. Igitur *materialis Febris cauſſa*, ut eodem loco etiam vidimus, conſiſtit in uno acri heterogenio, quod irritando ponit Febris cauſam, formalem cordis nempè & arteriarum motus ſpasmodicam accelerationem: intima hujus heterogenei natura, & irritandi ratio hactenus nemini innotuit, qui eousque pertingere anniſi ſunt, & ſuis omnes ſeducti conjecturis, oleum & operam perdidere: ſic, ut labor irritus fuerit, ſingularem heterogenei Febrilis acrimoniam, ſingulari & ſpecifico remedio corrigere velle. Id enim heterogenei, ubi per humores ultro citroque vagatur, ſubigere, concoquere, & eliminare, non arti, ſed uni Febri datum eſt. Quod itaque Medico hic potiſſimum reſcire incumbit, non eſt, quod ſcrutetur in intimam hujus heterogenei indo-

indolem, sed quod super omnia notatum habeat, id quod Medici ferè supergressi sunt, nimirum, quod illud heterogeneum non semper unam producat Febrem, verùm quod saepenumero unà cum Febre etiam producat varios alios morbos, qui simul constituunt unum morbum compositum, & quod medela ac solutio hujus morbi, non ab arte, sed ab una Febre, qui soli coctionis facultas concessa, expectanda sit. Medici, qui scitu adeo opportuna tam negligenter transierunt, statuentes nihil morbosi praeter Febrem ex heterogeneo Febrili promanare, & quasvis laesiones unà cum febre ex eodem heterogeneo profectas, febri tribuentes, in varios ac pessimos errores prolapsi sunt. Resistentia ad capillaria, sanguinis densitas, ad capillarium spasmus, sunt commenta ad decumanum aegrotantium damnum excogitata, ad stabiliendam unam febris naturam adeò perniciosam: sed utut aliquando, quod humanum est, à vero tramite deviatur, mirandum planè, tot Viros incomparabiles, in re tam obvia usque adeo hallucinatos fuisse. Numquid manifestò liquet, quod febris, quae, quae celeri pulsu monstrante in acceleratione motus cordis & arteriarum consistit, ab uno possit excitari acri heterogeneo? Quod si ita sit. an quid obest, quominus idem heterogeneum, maligniori stimulo infensum, ponat praeter febrem in iisdem partibus unam constrictionem violentam, sive spasmum? Sed numquid duo effectus, quàmvis ex adem causa producti, sunt duae laesiones, sive morbi omnino distincti, quorum singulus sua propria habet symptomata; Porro an idem heterogeneum, sed qualitate colliquativa infensum, non aliquando humores dissolvit, ac plus justo attenuat? Quo ergo fundamento humorum plenaria dissolutio Febri tributa est? Haec cum sint absolutè

tè notoria, quis capit, quomodo factum ſit, ut tot Medici, pulſus tenſos, motus, convulſivos, diarrhoeas, ſudores colliquativos, aliaque varia dira ſymptomata febri appropriaverint: miſſis igitur his erroribus, iterùm atque atque iterùm aſſerimus, heterogeneum Febrile non ſemper unam producere Febrem ſed pro qualitate colliquativa, aut gradu acrimoniae ſaepenumero etiam inferre ſpasmos, ac diſſolutiones humorum, plus minus infenſas, hasque laeſiones, ſive morbos unà cum Febre efficere unum morbum ex Febre & his morbis compoſitum; idemque heterogeneum totius morbi cauſam morbificam nulla arte acceſſibilem, ab una febre vinci, domari & foras expelli debêre. Quod & numquam fallit, ſi morbi Febri ſocii, ſalubria ejus conamina non nimiùm impediverint.

Ex quibus animadverſis, manifeſtò liquet, in febribus acutis non eo dirigendum eſſe curationis ſcopum, ut heterogeneum Febrile ârte inacceſſibile Medicus ſingulari ac ſpecificâ medicinâ adoriatur, aut Febrem, in quâ unâ aegri ſalus, remedio refrigerante, anodino, diacodiato extenuet, aut imminuat, ſed ut omni curâ morbos febri comites, ejusque ſalutiferum mechanismum impedientes, abigat, atque removeat. Quo facto, natura à morbo vindicata non poteſt aegrum non ſalvum facere: quo autem id ritè fiat, multum juvat, ſi Medicus ſcrutando per effectus morborum febrem impedientium indolem detegere noverit, nam natura ipſiusmet heterogenei ex eo quodammodo Medico notificatur, ſic ex diarrhoea copioſa putrida, heterogeneo putrido colliquativo cognito, diſſolutioni putridae facilius occurritur. Ad curandas febres acutas complicatas, multum etiam facit, ſi & earum *cauſae occaſionales* detegi poſſint, eas ſiquidem vel evitando, vel in ſua ſcaturigi-

ne adoriendo, multi morbi possunt praeveniri, de quibus causis agere non est hujus loci: hîc enim, ubi una febris simplex, sive non complicata in scenam prodit, cujus salubri mechanismo, causa unde morbus est, integrè destruitur, non est, quod de *causâ occasionali* hujus morbi; adeo simus solliciti.

CAPUT SEXTUM.

Effectus Febris.

Febris effectus, qui nimirum aliquam attentionem merentur, sunt humorum aucta agitatio, calor, rarefactio, celerior coctio, major ad putredinem dispositio excrementorum copiosior, & citior generatio, humorum deperditio, debilitas, praeternaturalium humorum productio, materiae morbificae coctio, & crisis: hi effectus pro maxima parte salutares sunt, & Febrem morbum salutiferum faciunt, pro ut ex sequentibus mox luculenter apparebit.

§. II. *Humorum aucta agitatio, calor, rarefactio.*

Quod inprimis humorum aucta agitatio & calor sint duo effectus primarii, & phaenomena essentialia Febris, quae licet atro notata calculo, à parte rei maximè salutifera sunt, & potissima naturae medicatricis instrumenta, nunc tam saepè, & tam claris argumentis probatum est, ut opus non sit, idem hîc iterum repetere: quoad rarefactionem, quam sequelam necessariam caloris, & essentiale Febris phaenomen etiam diximus, certum est, quod hoc phaenomen, quatenus vasa amplificat, & circulum sanguinis liberiorem reddit, ad salutiferum Febris mechanismum maximè etiam contribuat. Hîc tamen potest

quaedam moveri difficultas, dicet aliquis: ſtante Febre vaſa ex rarefactione immanè quantùm expanſa ſunt; ſed talis inſignis rarefactio ex Febre non modò arguit calorem febrilem valdè intenſum, verum etiam demonſtrat rarefactionem eſſe debêre febris phaenomen admodum periculoſum. Reſpondeo rarefactionem; quae in noſtris humoribus obtinet, duplicem cenſendam eſſe, nimirum rarefactionem veram, propriè dictam, quae gradationem caloris aequaliter ſequitur, & rarefactionem impropriè dictam, quae eamdem gradationem non ſequitur aequaliter; etenim multum variat in liquidis rarefactio, pro diverſitate liquidorum, rarefactio aquae v. g., ſatis regulariter ſequitur gradationem caloris: rarefactio autem lactis, non ſequitur gradationem caloris, niſi ad certum gradum; ubi autem ad altiorem gradum pervenerit, illicò exceſſivè inflatur, & intumeſcit: verùm haec inflatio & ſubita intumeſcentia non eſt confundenda, cum vera & propriè dictâ rarefactione, ortâ à ſolo calore: haec adeò fortis eſt, ut quamvis penè ſuperet reſiſtentiam, ubi e contrà illa, utpote nata ex virtute expanſivâ aëris, qui calore ex moleculis humorum expellitur, valdè compreſſibilis eſt; prout videmus, quod ad comprimendam lactis ſubitam inflationem, operculum vaſis abundè ſufficiat.

Rarefactio itaque, quae in febricitantibus adeò conſiderabilis apparet, etiam vera rarefactio non eſt, ſed ex genere illarum, quae gradationem caloris non ſequuntur, hinc haud mirum, ſi ex miti & moderato calore Febrili vaſorum expanſio adeò inſignis fiat: quae utpote etiam valde compreſſibilis, tantùm abeſt, ut ſanguinis progreſſum impediat, ut e contrà eum magis facilitet; hinc etiam eſt, quod pulſus magnus & expanſus, annuentibus omnium Medicorum ſuffragiis, ſemper bonus & laudabilis habitus fuerit: ex

quo etiam manifestò liquet, quod Medici ex ſpectabili rarefactione Febrili ſeſe gratis ſemper inquietaverint, nam circuli difficultates, vaſorum rupturae, vicinorum compreſſiones aliaque mala, quae imaginatio Medicorum inde deduxit, numquam niſi in ſola eorum idea extiterunt; & reverà ſi tot adeo graves laeſiones ex hoc phaenomine naſci poſſent, quid ni accideret, quibus humorum expanſio multò impenſior fit, quàm in vehementiſſima Febre? Quid ni curſoribus? Qui ſaepè prae nimia vaſorum intumeſcentia coguntur denodare ſua induſia, qui tamen ſani & vegeti curſus ſuos perficiunt.

Verùm ſi omnia jam memorata Febris phaenomena adeò ſalutifera ſint, ſi rarefactio ad circuli libertatem, ſi humorum agitatio & calor ad materiae morbificae coctionem, ad criſim & aegri ſalutem usque adeò contribuant, perpende, quid effecerint tot remedia refrigerantia, anodina, diacodiata, tot & tam ſaepe reiteratae V. ſectiones, ad ſopiendum praetenſum illum adeò vehementem humorum impetum, calorem & orgasmum Febrilem: profectò ſaepenumero exinde factum eſt, ut natura de ſe ſuperando morbo ſufficiens, tot adeò contrariis & noxiis remediis diſtracta & impedita, morbo tandem ceſſerit, unde periit aeger, qui certò ſervatus fuiſſet, ſi Medicus non fuiſſet accerſitus,

§. III. *Celerior humorum coctio.*

Cùm humorum concoctio in ſtatu ſano per cordis & arteriarum actionem peragitur, liquet, humores celerius concoqui debêre, dum â Febre eadem cordis & arteriarum actio praeter naturam accelerata eſt, cùm autem Febris quatenus humores celerius concoquit, varios alios effectus etiam producat; non inutile erit prius inveſtigare, in quo haec humorum

morum coctio consistat, & quomodo in nobis peragatur. Igitur humorum coctio consistit in successiva eorum elaboratione, quâ, incipiendo à primo statu cruditatis chylosae, ad ultimum coctionis excrementitiae, humores successivè formantur, mutantur, & destruuntur.

Primus itaque coctionis gradus sensibilis est formatio lactis ex chylo, id contingit, dum per actionem arteriarum chyli pinguior pars butyri naturam induit, & pars ejus mucilaginosa in caseosam mutatur, quo fit, ut lac quamvis à chylo non multum differat, jam pro humore naturali haberi possit.

Secundo coctionis gradu ex lacte alii humores formantur, inprimis ex parte butyrosa fit pinguedo, dum nimirum butyrum à caseo & aquâ lactis magis separatur, hinc pinguedo, quamvis aequè ac butyrum rancidae fermentationi pateat, non tam facilè putredini obnoxia est.

Pars verò caseosa abit in humorem gelatinosum, caseus enim actione vasorum oleo suo mucoso magis privatur, ex hac privatione ejus sal fixum oleo minùs obvolutum, actioni aquae magis accessibile evadit, quò fit, ut facilius in aqua dilutus, ex humore albo & opaco clarus & transparens fiat persistente fermentabilitate, non nisi ulteriori coctione deponenda.

Humor autem gelatinosus, dum ultrà concoquitur, oleum suum mucosum magis etiamnum deponit, & tunc mutatur in humorem salso serosum, qui cum nondum olei omnino exsors sit, aquâ simplici magis laxans, & lubricus est.

Dum verò ultimo coctionis gradu hic humor omne suum oleum perdit, ita ut sal ejus oleo non magis obvolutum, acre fiat, fit excrementitius, non

modò inutilis, ſed & maximè noxius, niſi foras maximè per urinae vias amandari poſſit.

Ex pinguedine, quam ex parte butyroſa lactis jam formatam diximus, dum ulterius ſubigitur, generatur humor bilioſus: id obtinet quam primum pinguedo oleo ſuo mucoſo usque adeo ſpoliatur, ut ſubtilior evadat & aquae miscibilis; ſal hujus humoris in oleo pingui eſt admodum volatile, & pars ejus terreſtris maximè diviſa, & impraegnata particulis acidis, huic parti tam firmè adhaerentibus, ut fermentationi acidae ineptum fiat; conſervatque idem ſal ſaporem ſalſum, qui tendit ad amaritiem, eſtque non modò valde diſſolubile, ſed admodum diſſolvens, & maximè diſpoſitum ad alkaleſcentiam; quare Bilis aëri expoſita, omnium citiſſimè corrumpitur.

Dum hic humor bilioſus ultrà concoquitur, oleum ſuum mucoſum magis magisque deponit, unde reddito ſale ejus acriori, idem humor in bilem abit excrementitiam, omnium maximè pernicioſam, niſi ſucceſſivè è corpore amandetur.

Sed quid ex oleo mucoſo, quod per coctionem ab humoribus continuò ſeparatur? Ex hoc oleo formari videntur humores ſanguinei & lymphatici; igitur apparent hi humores eisdem characteribus ac olea mucoſa Donati eſſe, nam haec juxtà ac illi neque calore funduntur, neque ſpiritu vini diſſolvi queunt; praeterea lac multum hujus olei videtur in ſe continêre, pellicula tenax in lactis, dum coquitur, ſuperficie conſpicua, & quoties coctio reiteratur reproducta, nihil aliud videtur, quàm oleum mucoſum calore quidem ſeparatum, non autem fuſum. Cùm autem ſanguis ſit humor ad putredinem valdè diſpoſitus, oportet ut generetur ex oleo mucoſo ſale divite, hinc veroſimiliter ex oleo mucoſo partis lactis adipoſae: haec enim lactis pinguior pars,

ſal

sal fermentationi ineptum magis retinet, quàm pars lactis caseosa, quae multò citiùs sale suo privatur, prout in caseo & butyro cuique observare licuit; si enim caseus de novo factus, nec sale conditus, asservetur, fermentatio ei derepentè accidit, acescit, & pars aquosa, quae separatur, mox secum vehit totum sal manente oleo mucoso sale vacuo: contrarium autem evenit, ubi ad idem tempus asservatur butyrum, quod evadit insigniter rancidum & acre, & pars olei mucosi elevata, & in superficie pelliculam formans, secum vehit magnam partem salis eâdem acrimoniâ sese manifestantis.

Ex oleo autem mucoso partis lactis caseosae salis minùs tenaci, videntur generari humores mucosi, qui sale privati omninò incorruptibiles sunt. Sal verò, quod ex oleo jam dicto, priusquam per coctionem in humorem mucosum abit, abscedit, ad serum salsum pertinêre videtur.

Sed humores sanguinei diu etiam sub actione arteriarum stare nequeunt, quin etiam sensim & sensim sale destituantur, & tandem incorruptibiles fiant, quod cum eò ventum sit, in humores mucosos etiam transeunt, sic ut oleum mucosum, cùm partis oleosae, tum caseosae lactis universam humoris mucosi substantiam constituat. Sal autem oleosum à sanguine coctione jam separatum ad bilem utpote huic analogum defertur.

Tandem humores mucosi ultimò subacti etiam ad sui destructionem tendunt, fiuntque non minus ac alii etiam inutiles, excrementitii ac noxii, nisi variâ viâ excretoriâ eliminentur.

Modo jam dicto continuò coquuntur & elaborantur humores in statu sano, ex quibus benè perceptis, non difficilè intelligitur, quomodo à Febre, mediante coctione celeriore producantur effectus,

 sequen-

sequentes nimirum: major humorum ad alkalescentiam inclinatio, copiosior excrementorum generatio, humorum deperditio, debilitas, & quorumdam humorum praeternaturalium productio, de quibus nunc agemus.

§. IV. *Major humorum ad alkalescentiam inclinatio.*

Inprimis si humores, ut jam vidimus, quò magis elaborantur, eò magis *ad alkali volatile* sive putredinem tendant, clarum est, coctionem febrilem, quae celerius peragitur, humores nostros celerius & magis ad putredinem disponere debêre: concipe hinc, cur cadaver hominis violentâ Febre extincti, tam citò putrescat; sed numquid ex eo Febris est morbus plenus periculo? Nequaquam, nam febris, licet coctione celeriori humores ad putredinem magis disponat, tantùm abest, ut eorum particulas salinas & sulphureas eò volatilisare possit, ut illi à parte rei putridi ac noxii fiant, quia, antequam eousque pervenerint, abeunt in excrementa & amandantur foras.

§. V. *Copiosior excrementorum generatio.*

Certum est, quod, quò citius humores coctionis gradus pertranseant, eò citius ad ultimum perveniant, & in excrementa fatiscant, unde necessum est, ut homine febricitante, eodem temporis intervallo excrementa multò copiosiùs producantur. At Febris nullùm excrementum tam copiosè producit, quàm *bilem*, hinc nec mirùm, si urina in febricitantibus mox tam tincta, rubra & vivida est: ratio est, quod à Febre quodammodo colliquetur & in massam humorum resor-

ſorbeatur pinguedo, quae, ut notavimus, in bilem abit: & quamvis bilis, prout etiam vidimus, ſit excrementum omnium maximè pernicioſum, non eſt, quod Medicum ideo à Febre deterreat; cùm tam bilis, quam alia excrementa continuò è corpore eliminentur, ſi aeger nimirum ſufficienter biberit, & colatoria ſpasmo obſtructa non ſint.

§. VI. *Humorum deperditio, debilitas.*

Humorum deperditionem, & virium inde natam proſtrationem, duos eſſe effectus ex celeriori coctione febrili neceſſario promanantes, nemo umquam inficiabitur; nam ſi coctio celerior faciat, ut aeger plus conſumat humoris, quàm ventriculus digeſtioni minus aptus facere valeat, ſequela eſt neceſſaria, humores exinde inſignem jacturam pati debere, unde aeger debilitetur neceſſum eſt; nec hic aliquis cavillando dicat pinguedinem ſupplendo alimenti defectui in humores reſorberi, cùm ea reſorpta pinguedo, ut jam vidimus, mox convertatur in bilem, in excrementum derepentè abituram: quare eo non obſtante, aegros poſt Febrem ſemper pallidos & debiles obſervamus.

Fatemur hos effectus primâ facie apparere periculo inſignes, cùm tamen experientiâ nondum conſtet, febres ex vehementiâ aut pervicacia vires vitae usque adeò dejicere, ut coctioni impares fiant, affirmare licet, hos effectus non eſſe adeò periculoſos, quàm quidem aliqui crediderunt.

§. VII. *Praeternaturalium humorum productio.*

Praeternaturalium humorum productio eſt effe-

ctus coctionis febrilis, qui non nisi à posteriori innotescit; experimur in febribus, quae nimirum per aliquod tempus aegros tenuerunt, sanguini supernè inhaerere pellem albam & duram, quam rarò videre contingit in statu sano. Indubium est, humores, qui hanc crustam constituunt, non produci, prout aliqui sustinuerunt, à Febris causâ, sive ab acri heterogeneo, quod Febrem producit, nam si exinde ortum haberent, non apparet, quare hoc heterogeneum, quod à primo morbi die sanguinem, afficit, hos effectus etiam à primo morbi die non poneret: praeterea observamus, quod dicti humores producantur à febribus, quae ab heterogeneo non excitantur, nimirum à febribus purè symptomaticis, quae non ab heterogeneo, sed a laesione locali ut symptoma ortum habent: unde liquet, praeternaturales hos humores non à Febris causâ, sed ab ipsa febre produci.

Febris hos humores facere videtur ex humoribus albumineis, & verosimiliter ex sanguine, quia lympha non videtur sat concrescibilis, ut in crustam adeò duram abeat; praeterea in sanguine febricitantium indies etiam videmus, quod quò crustra crassior sit, eò pars sanguinis rubicunda obscurior, & nigricantior appareat; evidens proba, quod in particulis rubris insignis mutatio acciderit; immo sunt, qui postquam hujusmodi sanguinem microscopio examinarunt, nobis asserunt, globulos sphaericos maximè defiguratos esse, quin varios formam sphaericam in totum amisisse, sic ut non sit à fide alienum, quod iidem humores à parte rei non sint, nisi ipsa sanguis cujus particulae coctione febrili adeò divisae sunt, & destructae, ut nec amplius sphaericae, nec rubrae existant: sed adeò leves, subtilesque factae, ut instar olei maximè fluidi sanguini supernatent. Quod autem

autem illi humores non generentur à coctione naturali, haec videtur ratio, quod ſanguis in ſtatu naturali, ubi coctio modeſtè, & tranquillè procedit, non niſi ſenſim & ſenſim orbetur ſuo ſale, ſicque mutetur in humorem mucoſum perfectè elaboratum, minus concrescibilem: per coctionem autem febrilem, quae celeriùs tumultuoſiùsque peragitur, non adeò praepropere omnis pars ſalina à ſanguine abſcedit; unde exurgit humor inter ſanguinem & humorem mucoſum medius, qui cùm ſale praegnans ſit, magis ad ſanguinis quam humoris mucoſi naturam accedit; imo qui non videtur eſſe niſi unus verus ſanguis, coctione febrili ita elaboratus, ut jam magis ſubtilis, tenuisque factus ſit; quamvis magis concrescibilis, prout in pelvi videre eſt.

Hi praeternaturales humores tales, quales, jam à coctione febrili productos vidimus, dum ultrà à Febre concoquuntur, ultimum coctionis gradum acquirunt, & ut alii humores, mutantur in excrementa; & haec excrementa vocamus purulenta: id ipſis accidit, dum per actionem arteriarum aquae, quae iis pro vehiculo inſervit, ita uniuntur, ut colatoria permeare & foras elabi queant, quod cum ſine ſalis ſeparatione accidere ſoleat, eſt, quod humores purulenti putredini obnoxii ſint: quod autem illi humores, ut humores ſanguinei, priusquam excrètioni apti fiant, non mutentur in humores mucoſos, id coctionis celeritati iterùm tribuendum cenſemus: diximus enim partem ſalinam ab oleò mucoſo partis adipoſae lactis, ex quo ſanguis, non niſi difficulter & cum tempore ſeparari, quod cùm à praecipitanti & celeriori coctione febrili fieri nequeat, eſt cur ex hujusmodi coctione proveniant quidam humores, quos coctio naturalis producere nequit.

Humo

Humores purulenti utut praeternaturales, & excrementitii, boni tamen maximè salutares, imo ad coctionem & crisim soli apti & maximè necessarii sunt; etenim cùm heterogeneum febrile saepè consistat in acrimoniâ adeò exoticâ, quae nec à Febre subigi, nec per vias excretorias evacuari possit, prudentis naturae provisione factum est, ut à Febri producatur humor quodammodo pinguis, qui hanc materiam acrem involvendo, ac in se recipiendo excretioni aptam reddat, & quod revera *purulentum* materiam morbificam in se contineat, patet ex inoculatione variolarum pure factâ, ubi ex uno corpore in aliud morbus implantatur: praetereà si attendimus, quod Febres, quae per notabile tempus inhaerent, raro in salutem abeant, absque eo, quod materia purulenta abscessu, sputis, urinis aut dejectionibus purulentis abundè evacuetur, satis liquet, purulentum huic salutari usui destinatum esse.

Sed si crustra phlogistica consistat in humoribus, quos Febris producit, si illi humores tam fluidi, tam subtiles sint, si per exilissima vasa capillaria tam expeditè transeant, si ad finem adeò salutarem à natura destinati, ubi nunc est spissum & densum illud inflammatorium, quod crusta phlogistica in ideâ tot Medicorum produxit? Ubinam tot remedia dissolventia, saponacea, diluentia, tot & tam saepe reiteratae venae sectiones? Imo non defuere, qui ad evacuandos hos humores venae sectionem tamdiu utilem ac necessariam praetenderint, quamdiu sanguini inhaerens crusta phlogistica dispiceretur: quam sanè medendi methodum, non modo ut maximè perniciosam, sed ut ferè occisivam detestamur.

Verum

Verum hic aliquis, quasi indignatus, duris his verbis in me invehitur: numquid pellis dura, sic dicta crusta phlogistica, indispensabiliter venae sectionem indicat? Nonne tantò magis urget haec indicatio, quantò haec crusta magis dura crassa & spissa est? Huic respondeo, crustam phlogisticam utcumque duram ac crassam numquam venae sectionem indicare per se, consistit enim ut jam iteratò vidimus, in uno humore dissoluto, qui unà cum sanguine omnia vasa liberrimè permeat, ac coctione febrili mutatur in humorem purulentum coctioni & crisi dicatum, cum autem hic humor oppidò concrescibilis, ubi stagnat, facile concrescat, est, cur in Febre complicatâ cum spasmo metuendum sit, ne alicubi interceptus fatales congestiones faciat, atque in tali rerum statu ad relaxandum spasmum, & abigendam partem humoris adeò concrescibilis, venae sectio ritè instituitur, & cum bonis aegri rebus reiteratur, dum pulsus tensus, & sanguis non satis dilutus sit; mox autem ac ex venae sectione pulsus mollescat, ac sanguis sat sero dilutus dispiciatur, non amplius ex crusta phlogistica, utcumque crassa & dura, perstat indicatio pro venae sectione. Quod in praxi, utpote punctum summi momenti, à Medico probè animadvertendum est. Sed cùm hìc de crusta phlogistica sermo fiat, caveat sibi Medicus, ne hanc confundat cum crusta mucosa pituitosa minus durâ, qualis in febribus catharralibus & rheumaticis ferè conspicitur; haec enim ab illa immanè quantum discrepat; crusta enim phlogistica ab expedita coctione febrili producta laudabilem coctionem significat, sed crusta mucosa generata ex humoribus mucilaginosis & gelatinosis crudis, potius cruditatem & coctionem impeditam ostendit, quin imo haec crusta, si admodum crassa sit, & rubri sanguinis pars valdè imminuta, nec eò magis crusta extenue-

nuetur, quò Febris ad ſtatum magis accedat, in ſummo aegrum verſari diſcrimine ſciendum eſt. Non quod humores nimiopere glutinoſi, lenti ac viſcidi ſint, ut Medici ſibi imaginârunt, ſed quod deficiant humores ſanguinei ſatis denſi ad vires & coctionem requiſiti; concipe hinc, cur remedia diſſolventia, attenuantia, & prae caeteris venae ſectio, hîc tam malè cedam & cur ipſemet *Boerhaavius*, quamvis & cruſta mucoſa de humorum glutinoſa ſpiſſitudine praeoccupatus, ſollâ ductus experientiâ, venae ſectionem, & remediorum attenuantium uſum in *peripneumoniâ nothâ* ut noxium damnaverit, Vide *Aphor.* 869.

§. VIII. *Coctio & criſis.*

Noviſſimi, ſed maxime praecipui Febris effectus, ſunt materiae morbificae concoctio, & expulſio ſive *criſis*: quomodo autem febris ab aliis morbis non impedita, tum per ſe, tum actione caloris, hos ſalutares effectus ſemper, neceſſariò, & manifeſtò producat, jam tam ſaepè inculcatum eſt, ut opus non ſit, crabem toties recoctam hic iterum apponere. Nonnulli tamen hic aliquas objectiones faciunt; ſi Febris, inquiunt, coctionem et criſim ſemper & manifeſtò producat; non capimus, cur coctio in Febribus toties adeò difficilis ſit, & cur indies tot Febres ſine ullâ coctionis notâ & manifeſtâ criſi conquieſcant; nec hîc reſponſum volumus inquiunt, id deberi perturbato vel impedito Febris mechaniſmo; nam, dicunt, quotidiè obſervamus, Febres dolore, vigiliâ, delirio, aliiſque diris ſymptomatibus ſtipatas producere coctiones & criſes manifeſtas. Hic ſic objicientibus reſpondeo, dico, & aſſero: quod toties quoties Febres aut difficulter, aut ſine notis coctionis, aut manifeſtâ criſi ſolvantur, id numquam ob aliam cauſam accidere, quum quod

Febris

Febres mechanismus ab aliis morbis turbatus, aut impeditus sit, & quamvis haud diffitear, dietim observari Febres, quae horrendis stipatae symptomatibus, absolutâ & manifestâ crisi in salutem abeant; non tamen ex eo concludere fas est, ideò has Febres plurimum impeditas ac perturbatas esse; non enim laesiones Febri comites, quò horrendiora prae se ferunt symptomata, eò magis semper Febrem impediunt:ècontrà sunt morbi, nullo insigni symptomate conspicui, qui Febri juncti vim vitae ac flammam vitalem, praecipuas coctionis actrices, insigniter debilitant; ubi alii, qui deliria, vigilias, aliaque dira symptomata accersiunt, vires vitae ac salubrem calorem febrilem vix extenuant; unde non est conceptu difficile, cur coctiones & crises in certis Febribus, visis minùs periculosis, saepè multò difficiliùs fiant, quàm in iis, qui horrendioribus symptomatibus conspicui, pro periculosioribus habentur; & vel inpromptu est hujus rei ratio; quò enim Febris cum aliis morbis complicata, promptè & expeditè effectus suos sortiatur, sat est, si morbi Febri comites salubria ejus conamina non nimioperè cohibuerint; hinc etiam veteres, qui ad luctam inter morbum & naturam accuratissimè attendebant, numquam erant inquieti, horribiles utcumque motus hostis concitaret, tamdiu, quàm calor nativus, sive natura medicatrix calori alieno, sive morbo, praedominaretur. Quare non obstantibus symptomatibus vel maximè horrendis, ac periculosis, pulsus validus, vires constantes, coctionis indicia in tempus apparentia, de futura naturae victoria numquam non decernebant.

Sed alii ultrà objicientes sic dicunt; licet Febris non nimis impedita morbi causam constanter concoquat,

quat, & expellat, equidem haec expulſio, quae criſeos nomine venit, non videtur peragi à ſola Febre; nam varia ſymptomata ſpaſmi, quae ut plurimum criſim concomitari ſolent, ſatis demonſtrant, quod tam ſpaſmus, quàm Febris, ad producendam criſim contribuat: ad hanc objectionem reſpondeo, non eſſe verum, nec etiam conceptibile, quod criſis, quae in ultimo gradu coctionis, ſimul & in concocti excretione conſiſtit, fieri poſſit ab una violenta fibrarum affectione, quà motus partium plurimùm impeditur, ac coercetur; hinc non eſſe veroſimile, horrores, inquietudines, urinae ſuppreſſiones, aliasque ſpaſmi affectiones, quae tumultum criticum concomitari ſolent, ad *criſim* contribuere, ſaltem per ſe, dico per ſe, quia non inconceptibile eſt, ſpaſmum utpote naturae motibus contrarium, nonnumquam facere, ut Febris inde magis exſtimulata concitet motus tantò vehementiores, quantò magis ſpaſmus ei reſiſtit, & ſic reportet victoriam eò glorioſiorem, quò acrior ante pugna extiterit. Porrò unicuique etiam notum eſt, dari certos motus ſpaſmodicos, quibus materia morbifica criticè eliminanda, ſpeciali naturae directione ad certa loca ducitur: nullum eſt dubium, quin hujusmodi ſpaſmus, qui vel eò peculiari nomine inſignitus, *autocraticus* dicitur, ad criſim non parum contribuat; licet ſemper ſit ſola Febris, quae morbi cauſam criticè expellat.

Coctio & criſis febrilis, relativè ad materiam morbificam multifariè ſubigibilem, alia faeculenta, alia eruptiva, alia purulenta vocatur. *Coctio & criſis faeculanta*, reſpicit heterogeneum, quod brevi temporis intervallo à Febre ſubactum, excrementis facilè uniri, & cum iis foras excerni contingit: unde Febris intra primam ſeptimanam, per excretiones manifeſtas ſenſim depuratur.

Coctio

Coctio & crisis eruptiva sic dicitur, respectu heterogenei, quod intra primos morbi dies à natura concoctum, sub forma exanthematis cum insigni levamine ad superficiem corporis deponitur, ibidemque delatum sensim expirat, prout contingit in febribus exanthematicis benignis, Febre nimirum scarlatinâ, variolosâ, morbillosâ benignâ, & caeteris. Et licet aliqui has eruptiones malè criticas dictas asserunt, quod, ut inquiunt, non fiant ex naturae directione, sed ex acrimoniâ fortuitò ad cutim depositâ, ipsi si animo expenderint, quod exanthemata vix umquam cum levamine erumpant, absque eo, quod priùs morbi materia ab expeditâ Febre concocta sit, mox clarè videbunt, salubrem exanthematum eruptionem naturae medicatricis opus esse, quo nimirum morbi causa prius subacta, ac foras delata, ibidem sibi exitum parat.

Heterogenea autem difficilioris subactionis, quàm ut brevi à natura concoqui, ac subigi possint, qualia sunt, quibus nec excrementis uniri, nec cum iis evacuari dotum sit, nec ejus indolis, quae ad superficiem corporis deponantur, sed quorum acrimonia adeo exotica sit, ut quò excretioni apta fiat, humore purulento inviscari, & involvi opus habeat, *coctione & crisi purulentâ* subigi & evacuari dicuntur, ex hujusmodi heterogeneo Febres ultrà primam septimanam ferè exspatiantur, quia ad earum coctionem requiritur humor purulentus, qui ut jam notavimus, tam citò generari ac produci nequit.

Crisis purulenta omnium maxime regularis est, & ne quid sinistri, aut aegri aut famulantium culpa intercesserit, per signa coctionis in urinis conspicua, regulariter praemonstratur; etenim humor purulentus utpote excrementitius, dum à Febre productus est, cum excrementis foras expellitur; hinc aliqua

ejus pars inſtar nebulae urinis inhaeret, quae proximâ exacerbatione copiâ aucta, & conſiſtentiâ gravior, & coloratior profundius in urinis ſuspenditur, atque haec coctionis indicia criſim abſolutam fore exacerbatione proximè ſubſequente haud dubiè deſignant; quod dum eò ventum eſt, Febris, quae tunc vehementiſſima & ſpasmo ſtipata eſſe ſolet, per excretiones manifeſtas ſimul & ſemel ſolvitur, & tum urina deponit ſedimentum album, lève, & aequale.

Ad excretionem criticam omnes viae excretoriae contribuunt, ſic tamen, ut in ſingula Febre per vias particulares copioſior fiat evacuatio. In morbis acutis omnium maximè criſes fiunt per ſudores, potiſſimum; ut notat divus *Hippocrates a*), ſi aeſtas humida fuerit, aut veri ſimilis, maximè quibus cutis laxior deſinentibus acceſſionibus madeſcit: pulſus autem undoſus potiſſimum hujus evacuationis argumentum eſt. Si adhaec ante criſim alvus exſiccetur, parciùs fluat urina, & paroxiſmus criticus cum horrore ingruat, ne dubites quin ſudoris multi, calidi à toto corpore difflu vium expectandum ſit.

Criſibus per expectorationem morbi pectoris maximè opportuni ſunt, ut & non rarò in aliis febribus, poſt coctionis ſigna ſputa alba, probata, puri aemula cum inſigni levamine excreentur; ſed quâ demum viâ morbi cauſam natura expellat, urinae ſedimentum & alvi dejectio, quae ſolitò magis à pure ferè pallefcit, ſatis arguunt, quantitatem affatu dignam per urinas & alvum amandari: hîc tamen notandum eſt, in alvino excremento qualitates adeò laudabiles conſtanter non reperiri, nam ubi (quod non rarum eſt) materia depravata primis in viis retenta fuerit, haec materia unà cum pure ex-

a) Cùm aeſtas ſit veri ſimilis, ſudores in Febribus multos exſpectare oportet. *Hipp. Aphor. 6. ſec. 3.*

excreta facit, ut nonnumquam dejectiones valdè fluidae, biliosae, fulvae ac oppidò foetidae fuerint: haec est ratio, cur veteres circa morbi finem dejectiones biliosas, cholericas bonas & salutares agnoverint *b*).

Praeter crises jam memoratas per secretionem, dantur etiam, quae fiunt per eruptionem, nempe per haemorrhagias, & purulentos abscessus: dari crises per haemorrhagias jam inde scripsit *Hippocrates c*), & indies etiam nobis eas videre contingit. Sed dicet aliquis: quomodo Febris solvi potest per excretionem humoris innoxii; nemo enim umquam dixit, sanguinem in febribus potissimum circa finem peccare & evacuari debêre; huic difficultati ut occurram, dico in haemorrhagia critica non tam sanguinem; quàm ejus vehiculum considerantum esse, est quippe sanguinis vehiculum materiâ morbificâ praegnans & purpureo colore tinctum, quo excreto, febres judicantur: sic ut haemorrhagia non sit salutaris, quatenus evacuatur sanguis, qui circa morbi finem vix abundat, sed quatenus morbi causa, unà cum sanguinis vehiculo foras elabitur.

Sed, inquiunt, etiamsi rubicundi sanguinis particulam parvi facimus respectu vehiculi, quo morbi causa abripitur, non capimus equidem, quomodo vehiculum unius haemorrhagiae, non nisi parvum quid respectu universae massae, secum ducat morbi materiem per humorum molem longè latèque dispersam,

b) Cholera in principio aegritudinis apparens significat dominium cholerae, et non est bona, et in fine ejus apud declinationem significat, quod mundificatur corpus; et est significatio bona. *Avicin. apud Savon. pag.* 758.

c) Septimum diem morbi agentibus aut nonum aut decimum quartum sanguinis profluvia è narribus ut plurimum tolluut febres, .. idem quoque facit in foemina profluvium menstruale. *Hipp. ad Duret.* l. 1. *coac.* 158.

ſam, aut quod eo modo ex hac materia tam impenſa abripiatur copia, quae ad Febres perfectè judicandas ſatis ſit.

Reſpondeo in primis ſolutionem febrium eſſe unum factum, facti autem certitudinem pro praxi ſufficere, nec eſſe, cur de modo, quod id fiat, adeò ſimus ſolliciti; ubi tamen hujus rei ratio danda foret, crediderim id non niſi peculiari naturae directioni, eliminandum heterogenium ad locum determinatum ducenti, adſcribendum eſſe: & quamvis revera hujusmodi directio longè noſtrum ſuperet conceptum; abſit tamen, ut de rei realitate maximè in haemorrhagia critica dubitetur, cùm manifeſtum ſit, ſpasmi *autocratici* ſive dirigentis ſymptomata hanc haemorrhagiam numquam non praecedere, ac concomitari; adhaec notari quoque meretur, non opus eſſe ad criſim deciſivam, ut tota materia morbifica ſimul & ſemel evacuetur; quò enim febris haemorrhagiâ criticâ ſolvatur, ſatis eſt, ſi ex hac materia certa quantitas haemorrhagia abripiatur, relicto reliquo, per alia colatoria poſtea ſenſim & ſenſim eliminando: imo à vero non abſimile eſt, excretiones per vias ordinarias, perfectae humorum depurationi, quàm ipſammet haemorrhagiam magis contribuere.

Febres ſanguinis profluvio maximè opportunae, ſunt Febres acutae, ſive quae primis exacerbationibus judicantur, tempore maximè veris & aeſtatis, in junioribus, temperamenti ſanguinei: caeterùm haemorrhagias praeſagiunt pulſus magnus, ardor, maximè circa praecordia, alvus pigra, urinae prius conoctae improviſa tenuitas; ubi verò unà cùm indiciis jam memoratis caput cum faciei & oculorum rubore doleat, ſi aeger ſine maeſtitia lacrymas fundat, nares pruriant, praecordia ſine dolore cum difficili ſpiritu intendantur, rigore praecedente, ſanguinis

per

per ſuperiora eruptio fiet: ubi autem à ſignis, quibus generatim ſanguinis eruptio ſignificatur, gravitas, tenſio, calor, dolor, pulſatio, circa lumbos ſentiantur, per inferiora ſanguinis excretio expectanda eſt. Ubi autem ſanguis exitum per inferiora tentans, ad ſuperiora regurgitaverit, & brevi poſt caput prehenderit, vehemens ſanguinis profluvium expectato.

Febres quae abſceſſibus judicari ſolent, ferè ſunt Febres criticae purulentae, hae, ſi diutius inhaereant, (quod tempore hièmis maximè obtinet) & pus coctione jam maturum, neque per urinas, neque ſputa, neque per alias vias evacuetur, alicubi aſſurgit abſceſſus, quo rupto, & purè eâ vià excreto, Febris ſolvitur. Ubi ergo in his febribus abſceſſui opportunis circa diem vigeſimum hypochondria mollia ſint, & non doleant, & ſpiritus difficilis acceſſerit, & mox iterum deferuerit, dolore & gravitate capitis ſuccedente, ad aures abſceſſum fore credibile eſt. Sin poſt diem vigeſimum dolor circa praecordia moleſtaverit, aut ad inferos artus translatus fuerit, & ſimul tenſio, dolor, & inflammatio articulum aut aliam inferam partem occupaverit, ibidem abſceſſus futurus eſt. Ubi autem (quod nec rarum) abſceſſus jamjam maturus iterum recurrerit, nonnumquam natura medicatrix ad alium locum pus eliminandum defert, hinc urina multa, craſſa, ſedimentoſa ſanguinis profluvium copioſum, alvus bilioſa purulenta, commodiſſimè abſceſſum ſolvunt.

Huc usque tibi, Lector, aſſignavimus, Febris quae ſit eſſentia, quae phaenomena, ſymptomata, affectiones ſymptomaticae, quae cauſae, qui effectus: monſtravimus Febrem morbum eſſe, ſed per ſe ſalutatem, omnes ejus effectus, humorum agitationem, calorem, rarefactionem, ipſos quos producit humo-

res praeternaturales, ad materiae morbificae ſubactionem, coctionem, exterminationem, aegri ſalutem omni ope collimare: ſed & vidimus, morbum adeò favorabilem naſci à cauſa irritante, à cauſa, quae non ſemper unam producit Febrem, ſed quae unà cum Febre etiam producit varios alios morbos plus minus periculoſos, quorum effectus, utpote effectibus Febris omnino oppoſiti, ſalutifera Febris conamina maximè impediunt, ſicque non modo cruditatem, criſes difficiles, imperfectas, ſed non rarò & ſummum periculum & mortem inferunt.

Igitur in omni Febre acutà duo veniunt potiſſimùm conſideranda; *Febris* nimirùm ſive natura pro aegri ſalute ſemper ſollicita, & *morbus* naturae infenſus inimicus, horum invicem continuò colluctantium vires, & operationes à Medico ſeriò ponderandae; quia exinde vera, & facilis prognoſticandi & medendi ratio omnium maximè haurienda eſt. Quo enim *natura* à *morbo* minùs impedita aut oppreſſa fuerit, eò magis aegri res in tuto poſita eſt: imo ſi pulſus magnus robuſtus, aequalis fuerit, ſi aeger cùm bonâ facie liberè reſpiraverit, Febris inſultus regulares fecerit, ſi cum cute non nimium tenſâ, calor toto corpore aequaliter diffuſus, excretionis negotium non impeditum, urina pro indole & tempore Febris probe colorata, & concocta fuerit, Medico promptam ſaultem praedicere fas eſt, eò citiùs expectandam, quò Febris fortior & vehementior extiterit.

Nec in tali caſu Medicus inquietus erit, etiamſi aliquod inviſum ſymptoma Febri ſocium fuerit, imo hujusmodi ſymptoma, quamvis horrendum vi coercere conſultum non eſt, ne fortè natura jam morbo ſuperior detrimentum inde patiatur.

At ubi ex contrariis indiciis conſtet, *naturam* à

morbo

morbo valdè oppreſſam, aut impeditam eſſe, aeger ex eo, eò magis periclitabitur, & coctio eò difficiliùs fiet, quò *natura* à *morbo* magis oppreſſa, & functiones vitales inde magis laeſae fuerint.

Igitur quemadmodum pulſus magnus, ſpiratio facilis, non obſtante quovis periculoſo ſymptomate, ad ſalutem plurimûm faciunt, ſic pulſus debilior, ſpiritus difficilis, urina cruda, cum aliis malis ſignis ingens, citumque periculum oſtendunt. Ubi verò *natura* debilis, ſed nec etiam *morbus* vigoroſus ſit, diuturni morbi argumentum eſt; in tali caſu, ſi appetitus vigeat, nec continenter vigilia, aut profuſa humorum evacuatio, aut quid aliud vires atterat, *morbus* tandem concoquitur, & ſalus expectanda eſt.

Sin in morbo longo aeger cibum averſetur, aut copioſa aliqua excretione, aut aliunde vires debilitentur, metus eſt, ne aeger pereat, priusquam *morbus* concoctus fuerit. Ubi autem *natura* fortis, ſed & ei cum *morbo*, qui parem vigorem habeat, agendum ſit, uti ſi cum pulſu forti, & integro ſpiritu cutis immanè quantum tenſa & arida fuerit, ſitis & ardor exceſſivus, cum urinâ crudâ, aut inſignis inflammatio viscus quoddam nobilius prehenderit; quamvis *morbus* cum vehementiâ *naturam* impetat, animoſa *natura* vim vi repellit, hinc quidem acriter, ſed dubiâ palmâ decertatur, nam ob *naturae* vigorem aeger vix perit, & nec ſalus expectanda ex tam impenſis *morbi* viribus: ſi poſtea urina melius coloretur, aut quid concocti in ea appareat, ut *natura* triumphet fore ſpes eſt. Sin autem *morbus* crudus inſiſtat, mala accidentia invalescant, ac vires vitales magis magisque deperdant, aegrum periturum praeſagire licet. Ubi verò urina non conſtans, ſed nunc cocta, nunc cruda ſit, ſi ſine notis morbus frequenter ceſſet, iterumque repetat, indicium

um eſt longi morbi, in ſalutem vel mortem abituri, prout aut *natura* aut *morbus* poſtea praevaluerit. Si autem *naturam* oppidò debilem *morbus* inſigniter malignus impetierit, ni Febris mox invaleſcat, pulſus robuſtior fiat, aut inſignis aliqua evacuatio, aut eruptio exanthematum ſuccedat, *natura* tanto *morbo* ſuperando impar, ferè ſuccumbit.

Qui igitur naturae ex morbi indole ritè perſpectâ, accuratè obſervaverit, quà ſerie, nihil çogente arte, utriusque accidentia ſe invicem exceperint, mira praeſagiet, & methodicè curabit: & ſanè haec fuit obſervandi disciplina, quae veteres in praedicendo tam miros, tam excellentes, in medendo tam felices, & Medicos omni notâ majores effecerit. Enim vero, calor nativus in eorum ideâ videbatur *natura medicatrix a*); hic praeter naturam auctus pulſum accellerabat, intendebat, amplificabat *b*), totum corpus aequaliter calefaciebat *c*); ſed nec

a) Anima & natura nihil praeter calidum innatum. *Gal. de palpitat.*

Concoctio alteratio quaedam exiſtit, alteratio vero ipſa à calido potiſſimùm perficitur, atque idcirço tum nutritio, tum concoctio, tum omnis ſucci generatio: jam verò & in excrementis ipſis qualitates à calore innato provenire, *Hippocrates* omnium poſt hominum memoriam primus recte dixit, *Ariſtoteles* poſt cum recte interpretatus. *Gal. de facultat. nativ. l. c. cap. 4.*

b) Vehemens pulſus à facultatis ſemper robore fit, ac quò ſit vehementior, tantò robur majus eſſe facultatis. *Gal. l. c. praeſ. ex pulſu cap. 7.*

Sola autem extrema pulſus vehementia non modò vacat periculo, ſed eſt etiam maximè utilis. *Idem l. 2. de praecogn. ex pulſu.*

c) Optimum verò eſt, ſi corpus omne aequè calidum molleque eſt; aequalis enim totius corporis mollities diſtinguit bonum calorem ab aliis, qui boni non ſunt. *Hip. 2. prog. 5.*

nec ſpirationem *d*), nec ſomnum *e*) offendebat, faciem non multum mutabat *f*), ventrem non indurabat *g*), ad criſim usque auctus *h*) coctiones regulares producebat *i*), quas per ſigna demonſtratas *k*) tandem criſis cum tumultu, & non raro magnâ vehementiâ *l*) excipiebat. Haec ſi praeſtò erant *naturae*

 expe-

d) Spiratio facilis in morbis acutis maximum eſt argumentum ſalutis. *Gal. com.* 1. *l. d. off. c.* 1.

Reſpiratio autem libera in omnibus, quae cum Febre acutâ ſunt, & iis etiam qui intra diem quadrageſimum judicentur, praeclarè ad ſalutem apparet, & facit. *Hip. apud Duret. de reſp. c.* 5.

e) Qui cum libertate ſpirandi & doloris vacuitate ſomnum inire poteſt placidum, vix moritur. *Duret. ibid. prog.* 28.

f) Conſiderare porrò hoc modo convenit in morbis acutis, primum quidem faciem aegroti, an ſimilis ſit his, quae in ſanis ſunt, maximè verò an ipſa ſibi ipſi; ita enim optime fuerit. *Hip. lib. praenot.*

g) Jam verò hypochondrium eſſe decet molle, doloris expers, aequale. *Hip. apud Duret. de Hypochond. l. c.*

h) Circa principia omnia ſunt debiliora, circa vigores verò vehementiora. *Hip. aphor.* 30. *ſ.* 2.

i) Certa & cita eſt criſis ad aegri ſalutem, quam colorata bellè urina denuntiat, habetque hypoſtaſim albam, & levem. *Gal. de diebus decretor. l.* 1.

k) Rurſus abſolutam criſim eam dico, quae ex morbo nil facit reliqui, fidam, firmam, ſecuram, certam, quae redit numquam, tutam, quae ſine periculoſis ſymptomatibus accidit, manifeſtam, cui excretio quaedam aut abſceſſus inſignis adeſt, quae ab indice die praemonſtrata jam fuerit, bona denique eſt illa, quae in ſanitatem deſinit. *Idem ibidem.*

l) Fit autem (criſis) naturâ ſeparante à bonis mala, & ad excernendum praeparante, non temerè igitur in tali turbatione graviter ſeſe habent. *Gal. l.* 2.

Criſim praecedens nox ſolet eſſe difficilis. *Idem. com.* 2. *in l.* 6. *epid. cap.* 12.

Symp-

expedita videbatur, nullo remedio turbanda *m*). Sed calor contra naturam ponebat *morbum*, naturae infensum inimicum, non modo mala inducentem symptomata, sed qui naturam turbabat, ejus salubria conamina, coctiones, crises distrahebat, hinc morbos horrendos, difficiles, diuturnos producebat. Ex magno vehementi *morbo*, simul *naturam* multùm opprimente, pessima ominabantur; hinc inaflmmationes, dolores fortes viscerum *n*), cum urinâ crudâ *o*) pro

Symptomata longè gravissima in morbis acutis solent interdum bonas crises moliri. *Idem in aphor.* 5. *l.* 7.

Signa judicatoria sunt: capitis dolor repentè invadens, rigores, difficilis respiratio, oris ventriculi morsus, ilia citrà dolorem extensa, vigiliae plurimae, nox absque ratione molesta, accessio anticipans; lacrymae involuntariae, nihil patientibus oculis neque ex moerore provenientes, rubor faciei, labrum inferius tremulum, lucida vel obscura vel tenebrosa oculis observantia, hallucinationes quaedam, nasus vel malae repentè rubescentes, atque alia id genus symptomata, quae omnia morbo jam cocto supervenientia, futuram statim sanitatem denuntiant, aut per largum alvi profluvium, aut per multum sudorem, aut per vomitum, aut aliam evacuationem supervenientem. *Idem in aphor.* 12. *l.* 1.

m) Quae judicantur & judicata sunt integrê neque movêre, neque innovare (licet), sive purgantibus, sive aliis irritamentis, sed sinere. *Hip. aphor.* 20. *sec.* 1.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur move, vigentibus vero quiescere melius est. *Hip. aphor.* 29. *sec.* 2.

n) Capitis dolor praegrandis, cum acutâ Febre aliove quopiam difficili signo conjunctus, mortiferus. *Hip. apud Duret. de cephalalgia coac.* 1.

Delirium in spiratione minutulâ, & sudatiunculâ, citam mortem denuntiat. Mortiferum etiam est, in difficultate spirandi cum singultu conjunctâ, *Hip. apud Duret. l.* 1. *coac.* 94.

In principiis Febrium sive delirium accesserit, sive alicujus

o), profusis *p*), aut infensis *q*) excretis per sudores alvum vomitum, pulsu debili *r*), spiritu difficili *s*), pessimè audiebant; & fere certam perniciem praesagiebant: haec tamen minus perniciosa habebantur, ubi

cujus membri sideratio, periturum hominem sciendum est, si non omninò, aut ex optimis signis aliquod accedat, aut corporis vires adsint. *Hip. praedic. l.* 2. *s.* 23.

Malignissimae vero (Febres) & signis horrendissimis obortientes, quarto die aut prius occidunt. *Hip. praenot. s.* 2.

Qui enim superstites evasuri sunt, facile spirantes, & doloris expertes sunt, & nocte dormiunt, aliaque signa securissima habent; qui vero morituri, aegrè spirantes fiunt, delirantes, vigilantes, aliaque signa pessima habent. *Idem sec. sequenti.*

o) Si fuerit tenuis urina, eam nec perfectam salutarem crisim polliceri, & ideò in Febribus acutis cum virium imbecillitate mortem, & periculum minari. *Claudin. de cris. pag.* 18.

Lethaliores autem sunt urinae foetidae, & aquosae, & nigrae, & crassae. *Hip. praenot. s.* 11.

p) Febricitanti sudor superveniens Febre non remittente malum. *Hip. aphor. s.* 4. *num.* 56.

Qui verò ad melius judicant, non statim apparent. *Hip. m. p. l.* 2. *pag.* 686. *num.* 33.

In Febre ardente si alvus affatim eruperit, lethale. *Hip. coac. s.* 1. *num.* 182.

q) Alvi egestiones variae diuturniores sunt nigris, & aliis lethalibus egestionibus, nihilo vero minus perniciosae. *Hip. judic. s.* 7.

Meracae, desinentes purgationes, omnibus quidem exacerbatoriae. *Hip. praedic. s.* 15.

Alvi egestio abunde colerata mala est. *Hip. coac. s.* 6. *num.* 23.

r) Languidus (pulsus) ex facultatis imbecillitate quare quantò languidior, tantò facultatem ostendit imbecilliorem. *Gal. de praecog. ex pulsu l.* 1.

s) Qui verò morituri sunt, aegre spirantes fiunt. *Hip. praenot. s.* 21.

ubi ex pulsu non debili *t*), & illaeso spiritu *u*), *naturam* à *morbo* minus impetitam displicerent. Imo si *naturae* & *morbi* vis aequalis videretur, re dubia existente, Medici clysmate *w*), victu tenui *x*), *morbi* vehementiam extenuare omni ope moliebantur.

Sed ubi in Febre periculosa nec signum lethale, nec

t) Vehemens pulsus à facultatis semper robore fit, & quò sit vehementior, tantò robur majus esse facultatis. *Gal. l. 2. praes. ex pulsu cap. 7.*

A calore nativo, & partium solidarum virtute, veniunt pepasmi & crises. *Hip. apud. Duret. coac. 3. cap. 3.*

Pulsus igitur si in die indice fortis apparuerit, indicat caloris nativi statum optimum, & propterea futuram coctionem optimam praenuntiat. Si debilis, contra. *Claud. pag.* 16.

u) Oportet autem aestimare bonam respirationem magnam vim habere ad salutem in omnibus acutis morbis, qui cum Febribus sunt, & in quadraginta diebus judicantur. *Hip. l. praenot. s.* 4.

w) Alvus autem curanda est per clysterem subducentem, ac refrigerantem; hoc enim universo morbo commodissimum erit. *Hip. de affect. §. 8. num* 11. *&* 12.

Oportet igitur & infernam alvum neque valde suppressam esse, ut ne Febres sint acutae, neque valde egerere, quo saliva sursum educi possit, & aeger viribus valeat. *Hip. l. co. num.* 59.

x) Ubi igitur peracutus est morbus, statim extremos labores habet, & extremè tenuissimo victu necessarium est; ubi vero non, sed pleniori victu uti licet, tantùm à tenui recedendum, quantùm morbus extremis mitior fuerit. *Hip. aphor. 7. s.* 1.

Non igitur licet vigentibus morbis cibos exhibere. *Hip. de vict. acutor. §. 17. num.* 11.

Febrienti cibum ne offeras . . . in potu dabis aquam calidam, & aquam mulsam, & acetum cum aqua, haec autem quam plurima bibat. *Hip. de locis in homine §. 39. num.* 1. 2.

nec coctionis nota deprehenderetur, aegrum in primo quaternario *y*) non periturum haud dubiè praesagiebant. Huic Febri si nulla diuturnitatis indicia accederent, in secundo quaternario *z*) judicatio expectabatur. Sin diuturni morbi indicia unà praestò essent, morbum fore longiorem praedixere. Ubi interim morbus crudus *a*) maneret, & exacerpatorio die excretiones non judicantes, sive ex quibus symptomata non mitescerent *b*), sed potius grandescerent, vel alia nova mala accederent, paroxismo proximo crisim fatalem fore praesagiebant.

Sin die critico terrifica symptomata non ingravescerent

y) At si acutè febricitet, nullum vero adsit signum lethale, sed nec aliqua coctionis nota, non potest ut hic quartanus decedat. *Gal. de diebus decretor. l.* 1. *cap.* 12.

z) Quod si nec coctionis, nec longitudinis morbi indicia adfuerint, in secundo quaternione morbus statum accipiet: si longitudinis indicia adfuerint, secundum quaternionem excedet. Hoc est diem septimum. *Idem ibidem.*

a) Cruda vero & incocta, & in malos abscessus conversa, acrisias, aut labores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivas; quod vero ex his potissimum futurum sit, ex aliis considerandum est. *Hip. m. pop. p.* 661. *num.* 90.

b) Judicatoria non judicantia partim lethalia, partim difficilis judicii. *Hip. m. pop. p.* 686. *num.* 34.

Qui accessione correpti postero die gravius habent, malum. *Hip. coac. s.* 1. *num.* 112.

In Febre continua, si quis quartâ die & septima affligatur, & non judicatus fuerit, undecimâ plerumque perit. *Hip. judicat. s.* 8.

Febres judicantur eisdem numero diebus, ex quibus superstites evadunt homines, & quibus pereunt. *Hip. praen. s.* 20.

At lethalia signa cum coctionis indiciis coibunt numquam, haec autem non minus periculosa, & salutaria inspicienda sunt, quia si quarta apparuerint, septimo aderit mors, quae crisis est mala. *Gal. de diebus decretor. l.* 1.

vescerent *c*), & quid concocti in urinis conspiceretur *d*), & urina post magis maturesceret cum pulsu valido, proximo die judicii crisis salutaris sperabatur *e*). Ubi autem in simili Febre *natura* longe à *morbo* abscessum moliretur, quo quidem humoris morbifici particula abscederet, non autem judicaretur *f*), aut si urina frequenter mutaretur *g*), aut alia frequens vicissitudo corpori accideret *h*), aut si corpus frigore jam affectum rursus incalesceret, aut calor alius ex alio sequeretur *i*), aut quaedam insignis excretio, sed sine coctionis notis morbum solveret *k*), ex his omnibus periculum deferri, & longiorem fore morbum observarunt.

Si

c) Remissio symptomatum cum signorum bonitate conjuncta, semper res aegri bono esse loco ostendit. *Duret. theor. prognos.* 26.

d) Urina bene cocta brevitatem, & securitatem morbi praenuntiat. *Ex Hip. Claud. cap.* 17.

e) Coctiones urinarum paulatim maturescentes, si in judicatoriis diebus concoctae fuerint, morbum solvunt. *Hip. judic. s.* 5.

Pulsus igitur, si in die indice fortis apparuerit, indicat caloris nativi statum optimum, & propterea futuram coctionem optimam praenuntiat. Si debilis, contra. *Claud. p.* 16.

f) In Febribus abscessus inprimis judicationibus morbum non solventes. Morbi longitudinem significat.

g) In Febribus mutationes si habuerit urina, longitudinem significat. *Hip. judic. s.* 7.

h) Mutationes prosunt, nisi ad prava mutentur. *Idem m. pop. l.* 2. *s.* 2. *p.* 690.

i) Et si in toto corpore mutationes, & si corpus perfrigeretur, & rursus calefiat aut calor alius ex alio gignatur, longitudinem morbi significat. *Hip. aphor.* 40. *s.* 4.

k) Quae in morbis post crisim intus relinquuntur, recedivas facere solent. *Hip. aphor. s.* 2. *num* 12.

Quae non secundum rationem levant credere non oportet, neque timêre valde, quae praeter rationem fiunt prava.

Mul-

Si ex iis induciis natura vires recuperaret, malis ſignis cum ſigno coctionis ſenſim extenuatis, ſpes erat fore, ut aeger ex periculoſo morbo tandem evaderet *l*). Sin contra vires quotidiè magis dejicerentur *m*), & in pejus mutationes fierent *n*), aut nova mala accidentia diebus criticis accederent *o*), aut corpus frigefactum non amplius incaleſceret, aut rigor continenter prehenderet, aut alia pernicioſa ſymptomata multum urgerent, lethalem eventum praedixere *p*).

Haec in acutis & periculoſis Febribus. In Febribus autem minus acutis, Febris non regularis, eadem ſemper hora & non alternis, ut decet, ſed ſin-

Multa enim horum ſunt inconſtantia, nec admodum permanêre, nec durare ſolent. *Hip. aphor. ſ.* 2. *num.* 27.

Judicationes & remiſſiones eorum, quae Febrem ardentem ſignificant, longiorem morbum faciunt. *Hip. judic. ſ.* 5.

l) Remiſſio ſymptomatum cum ſignorum bonitate conjuncta, ſemper res aegri bono eſſe loco oſtendit. *Duret. theor. progn.* 26.

m) Languidus (pulſus) ex facultatis imbecillitate quare quantò languidior, tantò facultatem oſtendit imbecilliorem. *Galen. de praecog. ex pulſu. l.* 1.

n) Mutationes proſunt, niſi in prava mutentur. *Hip. m. pop.* l. 2. *ſ.* 1. *p.* 690

o) At lethalia ſigna cum coctionis indiciis coibunt numquam, haec autem non minus periculoſa, & ſalutaria inſpicienda ſunt: quia ſi quartâ apparuerit, ſeptimò aderit mors, quae criſis eſt mala. *Gal. de diebus decretoriis. l.* 1

p) Qui verò morituri, aegrè ſpirantes fiunt, delirantes. vigilantes, aliaquè ſigne peſſima habent. *Hip. praenot. ſ.* 21.

Anxietates in diebus judicatoriis, ſi in his ſine ſudore refrigerantur, malum. *Hip. co. ſ.* 1. *num.* 60.

Rigor continenter vexans, corpore jam debili exiſtente, lethalis. *Hip. co. ſ.* 1. *num.* 15.

ſingulis diebus exacerbata *q*), urinae cruditas perpetua *r*), coctionis nota vel non conſtans *s*), vel non benè conditionata *t*), corporis moles ex Febre non multum attrita *u*), ſudor ſine periculo continenter frigidus *w*), longi morbi indicia erant.

In hoc caſu ſi appetitus ſalvus eſtet *x*), ac aeger ad ea quae offeruntur benè ſeſe haberet *y*), nec vigilia *z*), nec quid aliud unde vis vitae continentèr atteritur, aegrum vexaret, potiſſimum ſi urina rubrum

q) Si vero lente moveantur (Febres) atque eâdem invaluerint horâ, & ſingulis diebus fiant, poſt longius tempus criſim futuram portendunt. *Gal. de criſ. l.* 3.
Exacerbationes ſemper unâ horâ et ordinatâ invadentes, morbi diuturnitatem ſignificat. *Idem in aphor* 30. *l.* 4.

r) Cruda vero et incocta, acriſias, aut labores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivas, quod vero ex his potiſſimum futurum ſit, ex aliis conſiderandum eſt. *Hi. m. pop. p.* 661. *num.* 90.

s) In Febribus mutationes ſi habuerit urina, longitudinem ſignificat.

t) Quamdiu vero fulva fuerit, et tenuis (urina) morbum incoctum eſſe ſignificat. *Hip. praenot. ſ.* 11.

u) Febricitantium non omnino leviter permanêre, et nihil remittere corpus, aut etiam magis, quam pro ratione colliqueſieri, malum eſt. Illud enim morbi longitudinem, hoc vero infirmitatem indicat. *Hip. aphor.* 28. *ſ.* 2.

w) Frigidi ſudores cum acutâ Febre fientes, mortem, cum mitiore vero, morbi longitudinem ſignifica. *Hip. aph.* 37. *ſ.* 4.

x) Circa initia verò cibum omninò non appetentes, poſtea vero cibum benè capientes, melius liberantur. *Hip. aphor. ſ.* 2. *num.* 32.

y) In omni morbo benè ſeſe habere ad ea que offeruntur bonum eſt, contrarium vero malum. *Hip. aphor.* 33. *ſ.* 2.

z) Somnus concoquit. *Gal. com.* 4. *in l.* 6. *epid. c.* 26.

brum demitteret sedimentum a), morbum à natura tandem subactum iri praesagiebant.

Sin omnia essent contraria b), aut nova alia accidentia accederent, metuebant ne ante coctionem natura succumberet: hinc in morbis longis interdicto quovis remedio debilitante, pleniori victu naturae viribus prudenter prospiciebant c).

Haec vestigia calcantes venerandi senes, non tantùm & vitam, & mortem aegrotantium, imo non tantùm & diem, & modum, quo morbus in mortem aut salutem transiturus esset miro praesagio ac Deorum quasi a fflatu praedixerunt, verum & firmis, & rationi innixis fundamentis, & indicationibus à natura mutuatis, curam suorum aegrorum aggressi sunt: & artis salubris usu universam Graeciam, Arabiam, ac Italiam affecêre, ut Deorum honores viventes meritò acceperint; sic ut *Hippocrates* Athenis in magnis misteriis alter post Herculem Jovis filium initiatus fuerit, & per os *Galeni* aegris vaticinari voluisse Pythium Apollinem, populus

a) Urinam cui rubra subsident, diuturniorem esse, illa cui alba, caeterùm admodum salutarem. *Gal. com. 3. in l. ep. c. 23.*

b) Quamdiu vero fulva fuerit urina, et tenuis, morbum incoctum esse significat. Si autem diuturna fuerit talis, periculum ne sufficere homo non possit, donec urina cocta fuerit. *Hip. praenot. f.* 11.

c) Considerare autem oportet aegrotantem, si sufficiat cum victûs ratione ad vigorem morbi, et utrum ille deficiet prius, et victu non sufficiet, aut morbus prius deficiet, ac obtundetur. *Hip. aphor. 9. f. 1.*

Porro quo longius affuerit status morbi, ac morbus ipse clementior fuerit, eo nutries uberius, at morbi, qui ad decimum quartum omnino sunt crudi, tardius moventur, quodammodo non finiuntur ante quadragesimum diem. *Gal. de diebus decret. l. 1. c. 13.*

lus ſibi firmiter perſuaſerit. Ex quo autem, neſcio quo infauſto ſydere, á veteri medicinâ medicina deceſſerit, & tam divina ac pretioſa monumenta, ſacrilegâ manu temerata, lacerata, ac flocci penſa ſint, periit omnino tam felix praeſagiendi & medendi facultas, & non alia videtur ratio, cur licet à tempore usque *Hippocratis* corporis humani fabrica, & facultas longè meliùs perſpecta fuerit, & morborum cauſae altiùs exploratae, & remediorum copia immenſùm aucta, rei tamen medicae utilitas plurimùm imminuta ſit, tantùm abeſt ut increverit *d*).

Sed

d) Fateri enim debemus, non ſemper in morborum decurſu obſervando à Medicis adhiberi illam diligentiam, quam in veterum Medicorum monumentis, invenimus. Quid ſingulis diebus mutatum apparet in morbo, notaverunt, ſedulo, atque ſic invenerunt, quomodo natura morbos curaret; hujusque veſtigia preſſè ſecuti ſunt. Quotus quisque eſt, qui haec obſervationis taedia devorare vellet? Qui luculentâ in praxi verſantes, optimam haberent occaſionem in haec inquirendi, aegrotorum numero ſaepe obruuntur, ſic ut, dum pluribus adſunt ad ſingulos minûs attenti eſſe debeant. Plurimi etiam, dum aliquoties his, quae in morbis obſervant, vident non reſpondere illa quae de criſi, diebus criticis et horum indicibus tradiderunt veteres, poſtea haec omnino negligunt, et in his ſaltem regionibus nullius uſûs eſſe credunt. Quamvis autem propriae tenuitas conſcius probè noverim, quam parum valeat in re tam gravi meum teſtimonium; dicam tamen illa quae in morbis me obſervaſſe credo.

In morbis imprimis acutis curandis ſolebam, diffidens memoriae coram aegris notare illa, quae in toto morbi decurſu ſingulis diebus obſervabam, atque domum redux, haec in ordinem redigebam, hac methodo comparavi centenos aliquot integros morborum acutorum decurſus, ſimul notans illa, quae vel per victum vel medicamenta aegris applicueram; placebat hic labor, quia commiſſos in morbis curandis errores, ſic optimè detegere poteram, et vitare

Sed quamvis, ut jam vidimus, haec avorum nostrorum numquam satis honorandorum doctrina, tam bona sit, & tam recommendabilis, eam tamen imperfectam, & in multis admodum obscuram esse non est, qui non asseruerit: etenim praeter varia, vel non bene, vel non adaequate ab iis percepta; alia exstant, quae observatione licet verificata, non tamen satis evoluta, nec à veris sui causis deducta sunt: concipe hinc, cur in eorum monumentis tam exotica occurrant ratiocinia? quo autem illorum virorum scripta impensiori nobis sint utilitati, ea enucleare, & ab obscuritate educere operae praetium est.

tare inposterum. Uti etiam, quod non auderem *magni praeceptoris* petere consilium, quod toties indigebam, nisi accuratam habere morbi historiam, optimus enim ille vir, qui titubanti saepe discipulo in gravioribus casibus compati noverat, sereno vultu excepisset, minus in re adeo seria attentum. Dum vero postea *Hippocratis* & *Galeni* dogmata conferrem cum illis, quae si in morbis observaveram, summâ cum animi oblectatione vidi, verissima esse, quae dixerant, praecipuam autem difficultatem inde fieri, quod saepe veteribus Medicis plus sapere velimus, et plura praesagire quam ill. *Van Swieten de morbis internis &c. de Febrib. in gener. p.* 50.

Mirari desinant practicantes, si hodie nec frequenter, nec perfecte succedant crises uti olim in gracciâ; siquidem illi graecarum legum vel ignari, vel obtrectatores, à principio morbi ad declinationem usque purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, spirituosis aliisque inprudenter et intempestivè exhibitis medicamentis ferè conficiunt aegrotantem; ideo impossibile est, ut humores per tam diversas remediorum seditiones distracti, ad criticae despumationis negotium stato tempore disponantur; sed assiduis confusionibus agitati, loco criseos perfectae, in metastases praeternaturales desinant. *Bagliv. prax. med. l.* 2. *fol.* 232.

Inprimis non est multùm arguendum contra veteres, quod illi de facultate organica partium minus instructi, omnes naturae operationes uni calori nativo ferè appropriaverint, nam cum humorum perfectio, elaboratio, mutatio, à parte rei à calore plerùmque expediatur, coctionis significatio tam apta est, ut nulla inde redundet obscuritas. Idem est, de praetensi inter morbum & naturam certaminis analogia, etiam satis clara, & intelligibili. Ad ea, quae de crisi ejusque diebus commentati sunt properamus.

Apparet crisim, de quâ maximè mentionem fecit antiquitas, esse crisim, quae apud nos *purulenta* audit, nimirùm crisim regularem, quae coctionis indiciis praemonstrata, contingit per excretiones manifestas. Imo veteres eam solam pro crisi vera accepisse veri non absimile est. Quo posito, criseos nominis significatio communiter habita est pro subita & repentina morbi-mùtatione in mortem, vel salutem; sive pro judicio quo de vita vel morte aegrotantium absolutè decernebatur. Etenim juxta *Galenum* & alios vocabulum *crisis* derivatum est à verbo Graeco, quod significat *judicio*, & licet alii idem nomen ab eodem verbo derivantes, *pugnam* significare praetenderint, eique varias alias significationes tribuerint, omninò tamen maximè frequens & usitata acceptio fuit pro judicio, quo sors de vita vel morte aegrotantium positivè dirimebatur.

Crisis salutaris absoluta, coctionis signis regulariter praemonstrabatur, & praecedente insigni perturbatione fiebat die critico per excretiones manifestas, quae autem non itae veniebat, minus laudabilis censebatur.

Quod vero dies attinet, eos criticos sive decretorios nuncuparunt, quibus frequentiora judicia sive crises contingere observarentur, ex his summa potetena-

ſtas ſeptenariis tributa eſt, deinde quaternariis: ſeptenarii maximè praecipui habebantur ſeptimus, decimus quartus, & vigeſimus; nam hic erat & ſeptimus à decimo quarto, & quamvis *Hippocrates*, omiſſo vigeſimo, vigeſimum primum criticum agnoverit, alii huic difficultati occurrere volentes ſuſtinuerunt, id ab *Hippocrate* factum eſſe, quod criſes, quae ad finem tertii ſeptenarii incidunt, tam die vigeſimo primo, quam vigeſimo obſervarentur.

Singuli ſeptenarii dies medius & ultimus erant quaternarii, quartus, ſeptimus, undecimus, decimus quartus, decimus ſeptimus, & vigeſimus tales exiſtebant. His diebus Febres exacerbari obſervavit *Hippocrates*, & per quatuor dies ad vigeſimum usque terminari praecepit *e*). Quivis quaternarius ſui ſeptenarii medius, index & contemplatorius dictus eſt, quod judicatio proximo ſeptenario futura, praecedenti quaternario ſignificaretur, & ſic dies quartus erat index ſeptimi, undecimus decimi quarti, & decimus ſeptimus vigeſimi.

Ex reliquis, qui pares erant ad judicia minus efficaces medicinales nuncupati ſunt; quia hisce diebus tutius medicamenta exhibebantur *f*), ni fors iisdem diebus Febres inſultus facerent, nam Febres, quae diebus paribus movebantur; paribus quoque judicabantur; in iis autem criſes difficiliores expectabantur. Inter criticos diem ſeptimum maximam poteſtatem habêre cenſuit *Galenus*, deinde decimum quartum, & poſt hunc vigeſimum; hi primum ordinem conſtituebant, ſecundum verò undecimus, nonus, decimus ſeptimus, quartus, tertius, quintus, caeteri pares medecinales, ut jam diximus, minori facultate pollebant, ſed ex omnibus ſextus peſſimae erat fa-

e) *Hip. l. praen.* 44.
f) *Hip.* 4. *de morbis*.

famae; quae enim in eum incidebant judicia, exitiosa, aut maximè erant difficilia: in secundo vicenario soli septenarii judicandi potestatem habebant, & spatio eo elapso, vicenarii; post haec criticorum dierum vis ferè peribat, & crises mensibus, annisque fieri credebantur. Porro diebus criticis Astrorum, & potissimum Lunae influentias efficaciam & potestatem impertiri existimabant. Atque haec sunt praecipua, quae in veterum monimentis de crisi, eiusque diebus inveniuntur.

Quibus ad incudem revocatis, dicimus in primis, veteres malè crisim sumpsisse pro *judicio*, quo de salute aut morte aegrotantium praetensé decernebatur; nam si crisis à parte rei in hujusmodi judicio consisteret, omnis exacerbatio critica tam ad crisim salutarem, quam fatalem esset juxtà efficax, quod tamen nemini cum veritate asserere licet; nam in Febribus valde acutis, & periculosis morbus naturâ superior primis diebus non raro aegros perire facit, quo tempore natura morbo major, aegros salvare nequeat. Hinc in Febribus sic dictis criticis purulentis, quae numquam ante diem septimum in salutem abeunt, veteres perperam diem tertium, quintum criticum agnovêre: exinde etiam est, quod illi diversas febrium species, quas non confundere summoperè interest, non ritè destinxerint. Sic ut Febres summè acutas, quae inter primam septimanam crisi fatali terminabantur, pro Febribus septimanis varia perniciosa symptomata appropriaverint quae iis minimè competunt.

Quò igitur de crisi nobis melior idea formetur, una crisis salutaris coctionis signis regulariter praemonstrata pro crisi verâ habenda est, haec existens effectus visibilis naturae praedominantis, haud aegrè distinguitur à crisi sic dicta fatali, quae effectus prae-

domi-

dominantis morbi, ſignis cruditatis & diris ſymptomatibus praeoſtenſa ſaepenumero citius quam vera criſis accidit.

Quod vero dies criticos concernit, quorum poteſtatem & efficaciam ex Aſtrorum influentiis derivarunt veteres, exinde omnium maximè eorum patescit ignorantia: quid enim futilius, quàm adſcribere diebus unam facultatem, quae viſibiliter exacerbationibus cumpetit: imo veteres ipſi, utcumque in favorem dierum praeoccupati, vel inviti fateri coacti ſunt, Febres non aliis diebus, quàm quibus exacerbantur, judicari.

Igitur nullus dies criticus eſt, niſi eum occupaverit exacerbatio, quà morbi cauſâ abſolutè concocta, & foras delatâ, aeger ſanescit. Id pro Febris vehementia & heterogenei indole nunc ocyùs, nunc tardiùs accidit: in Febre diaria morbi cauſa perfectè concoquitur & expellitur prima exacerbatione, & ideo primus morbi dies criticus deceſſivus eſt. Si ſecunda exacerbatione idem fiat, dies tertius criticus erit, & ſic de caeteris, ſi nimirum Febris regularis alternis diebus exacerbetur; & nec alia eſt ratio, cur dies impares partibus magis efficaces ſint. Sed quamvis, ut jam vidimus, in Febribus, quae ſolent citò concoqui, omnis dies exacerbationis criticus eſſe poſſit, tamen in Febribus, quae diutiùs inhaerent, quo coctio & criſis fiat, cum antiquis admittere oportet unam periodum ſeptenariam, quae continet exacerbationes quatuor. Harum prima coctionem quidem incipit, ſed nondum ſigno conſpicuam. Ad finem exacerbationis ſecundae, nubecula in urinis praebet primum coctionis argumentum, quod ſi nihil impediat quartà exacerbatione criſim abſolutam fore praeſagit. Exacerba-

cerbatione tertiâ per suspensum urinae innatans crisis confirmatur, & tandem ultimâ & vehementissimâ abcutè perficitur. Criticam hanc periodum, verosimiliter quod prima coctionis indicia die quarto in urinis conspiciantur, diviserunt veteres in duos quaternarior, sed malè, cum haec divisio non sit conformis ordini coctionis; nam coctio, ut jam vidimus, quae per nubeculam in urinis sese manifestat, fit exacerbatione secundâ, quae non quarto, sed tertio die incipit; cùm autem septenarius criticus comprehendat exacerbationes quatuor, quarum tres per coctionem, quam visibiliter operantur, sunt ejusdem ordinis, liquet juxta hunc ordinem, qui luculenter est ordo operationum criticarum, praedictam divisionem non habere fundamentum: cùm enim gradatio coctionis sit ante quartum, debet haec divisio absolutè praebere falsam ideam, de ordine ejusdem gradationis physicae, ex quibus iterum veterum error manifestus fiat.

Periodus critica, sive spatium quo natura pro coctione & crisi laborat, potest omni die exacerbationis initium capere: si prima die incipiat, prima coctionis nota apparebit ad finem diei tertii, & crisis die septimo exspectanda est. Si die tertio exordiatur, dies quinta indicativa dabit, & dies nonnus erit criticus decisivus, tam tutus, ac dies septimus indicabit crisim fore die undecimo, & sic de caeteris usque ad diem vigesimum. Sed tunc ut benè notarunt veteres, ordo mutatur, pereunt quaternarii, & coctionis indicia non magis apparent ad finem exacerbationis secundae, sed jam ab acerbatione, quae septenarium criticum praecedit conspicua sunt, & acerbationes tres subsequentes coctionem confirmant. Sic ut coctio in Febribus, quae in secundo vicenario termi-

terminatur, à fine ſeptenarii praecedentis jam eousque proceſſerit, quàm ad finem primi quaternarii in Febribus magis acutis: ita ut in Febribus, quae diutiùs protrahuntur, duo ſeptenarii idem faciant ad coctionem, ac duo quaternarii in Febribus, quae citiùs judicantur. Ratio eſt, quod Febres, quae diutiùs inhaerent ſint minùs vehementes, quàm ut morbi cauſam quatuor exacerbationibus coquere valeant.

Sed dicet aliquis, ſi ſingulus ſeptenarius contineat dies ſeptem, quomodo fit, ut tres ſeptenarii tantùm contineant dies viginti?

Reſpondeo id accidere, quod dies, de quibus hîc agimus, non ſint dies naturales, ſed dies morbi, qui breviores ſunt *a*): aliquibus ſoli obſervationi adcompertum eſt, quatuor ſeptenarior non comprehendere ultra dies 26, & horas 16. alii autem, qui quatuor has revolutiones ſeptenarias aequipararunt revolutionibus periodicis Lunae, ſuſtinuerunt ſpatium unius menſis morbi aequare ſpatium unius menſis Lunaris, nempe dierum 27. & horarum 8. Sed quomodocunque res agitata, & computata fuerit, tandem compertum eſt, 6. periodos ſeptenarias non comprehendere ultra dies praeter propter 40, Veteres autem ut intra hos dies ſuas periodos invenirent coacti ſunt diem decimum quartum in primo vicenario bis computare, hic quippe erat finis ſecundi, & principium tertii ſeptenarii *b*). Ut hac pariter ratione dies vigeſimus erat

a) Decretorios dies non eſſe integris hebdomatibus ſupputandos. *Gal. com.* 3. *in l. epid. cap.* 14

Vigeſimus terminat ſeptimanas, minimè vigeſimus primus. *Idem com. in l. epid. c.* 23.

b) Decimus quartus ut finis ſecundae, ſic initium tertiae ſeptimane exiſtit, octavus ſeptimane ſecunde initium. *Idem de dieb. decretor. l.* 2.

erat ſeptimus à decimo quarto, qui ſi non judicaret, erat initialis primi ſeptenarii vicenarii ſecundi: de die trigeſimo quarto idem cenſebant. Sed cùm hic computandi modus iterum minimè quadret ordini exacerbationum, luce clarius apparet veteres hîc iterum à via multum aberraſſe. Etenim extra omne dubium eſt, quod ſingulus ſeptenarius abſolutè continere debeat exacerbationes quatuor, quod fieri nequit, ſi dies decimus quartus criticus ſit; quia primus dies hujus ſeptenarii, nimirum dies remiſſionis eſt; adeoquè ſecundus ſeptenarius haberet tantùm exacerbationes tres, & deberet terminari non decimo tertio. Quò magis ergo attendimus ad normam, qua veteres criticis ſeſe geſſerint, eò luculentius apparet, eos magis numero dierum, quàm exacerbationum inhaeſiſſe. Etenim ut ſingulus ſeptenarius, prout abſolutè requiritur, habeat ſuas exacerbationes quatuor, non poteſt ſecundus ſeptenarius incipere die octavo, qui remiſſionis eſt, ſed denet incipere die nono, & finiri non die decimo quarto, ſed decimo quinto: qui dies, ſi morbum non decreverit, erit initialis ſeptenarii tertii, non vigeſimo, ſed vigeſimo primo terminandi. Cùm autem, ut jam vidimus, dies morbi unâ horâ praeter propter breviores ſint diebus naturalibus, oportet ut viginti & unus dies morbi praeter propter adaequent, dies naturales viginti. Nam primus dies naturalis, exiſtens unâ horâ longior, comprehendit totum primum diem morbi, & inſuper unam horam diei ſecundi morbi; adeoque dies ſecundus naturalis, iterum unâ horâ longior, debet comprehendere & totum diem ſecundum morbi, & duas horas diei tertii morbi, ſicque procedendo comperimus, diem vigeſimum naturalem continere horas 20. diei vigeſimi primi, hinc non mirum, ſi dies

dies vigeſimus naturalis, & non vigeſimus primus pro critico habitus fuerit. Idem eſt de die decimo quarto, qui jam horas 14. diei decimi quinti contineat. Igitur ſi non diebua naturalibus, ſed morbi calculemus, in Febre regulari, quae nimirum alternis diebus exacerbatur, omnes dies critici impares erunt: cùm autem à die undecimo dies impares morbi pro magna parte à diebus paribus naturalibus occupentur, non mirum, quod dies pares naturales pro criticis habiti ſint. Non ſunt ergo dies decimus quartus & vigeſimus dies critici, quod, ut voluerunt veteres, dies decimus quartus ſit ſeptimus ſecundae ſeptimanae, & quod dies vigeſimus ſit ſeptimus à decimo quarto, ſed ob rationes modò dictas, quae, ut opinor, unicuique jam ſatis obviae ſunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Diviſio Prognoſis & cura Febris.

Febris relativè ad coctionem & criſim, quam triplicem, nempe depuratoriam, exanthematicam, & criticam purulentam diximus; pariter in depuratoriam, exanthematicam, & criticam purulentam dividitur.

Febris depuratoria intra primam ſeptimanam, unde *Febris ſeptimanae* nomen obtinuit, à ſe ipſa concoquitur, depuratur, & ſolvitur. Cognoſcitur, ſi absque ſignis periculoſis urina à morbi principio mox turbetur, & blandus oboriatur ſudor, qui con-

tinènter inhaerens, intra primam ſeptimanam ſenſim & ſenſim Febrem ſolvit. Aliàs urina minus ſaturata ſuſpenſum habet coloris rubri, vel albi, quae coctionis faeculentae nota, ſecundâ vel tertiâ exacerbatione abſolutam criſim fore promittit per ſudores, alvum, aut urinas, quae tunc album, rubrum, vel lateritium ſedimentum demittunt *i*).

Febris exanthematica dependet ab heterogeneo, quod Febre ſubactum, & exanthematum eruptione ad cutim depoſitum, Febrem vel ſummoperè extenuat, vel omnino tollit. Haec certis intervallis epidemicè graſſari ſolet, & ſignis pathognomonicis, unicuique ſatis notis, non aegrè innoteſcii; ad quae tamen ſigna Medicus benè animadvertat, ne ſpeciei Febris ignarus, exanthematum eruptionem vel plus juſto acceleret, vel temerè interpellet.

Febris critica purulenta non niſi coctione & criſi purulentâ in ſalutem abitura ante ſeptimum diem umquam, raro die ſeptimo ſolvitur, ſaepiùs ad diem decimum quartum, & non infrequenter ad vigeſimum usque inhaeret. In hac Febre criſis regularis eſt, & numquam non coctionis ſignis regulariter praemonſtratur. Urina hic inter initia benè colorata, vivida & transparens eſt; huic poſtea alba nuqecula innatat, quae altero die exacerbatorio in ſuſpenſum mutatur, quae notae coctionis exacerbatione pro-

i) Si quis primo ſtatim die nullum habens ſignum periculoſum, ſed potius ſalutaria omnia, acutè quidem febricitet, urinam tamen bene coloratam, ac mediocriter craſſam mingat, is certe in primis quatuor diebus criſim eſt habiturus, & eo magis, ſi nubecula aliqua vel ſuſpenſio optima in urinâ videatur, magis adhuc, ſi hypoſtaſis ſe oſtendat. *Gal. de criſ. l.* 1.

proximè subsequente crisim absolutam fore certò designant. Et tunc urina deponit sedimentum multum, album leve & aequale.

Quod Febris prognosim attinet, rem sanè acu tetigit insignis *Sydenhamus* dum de Febre dixit, quod sit *naturae conamen, materiae morbificae corpori valde inimicae exterminationem omni ope molientis.* Igitur Febris non modo per se sui ipsius est optima medicatrix, verum eò tutiùs & citiùs sibi medetur, quò impensiori impetu mota fuerit: non alkalescentia, non debilitas Medicum deterreant, quia inde nihil umquam mali observatum est; eo minus, cum febricitantes ipso naturae instinctu appetant cibos & potiones austeras acidulas, quae, quod tardiori passu tendant ad alkali volatile, nec tam properè in excrementa abeant, febricitantibus plurimùm favent & vires conservant.

Ubi ergo Febre correptum Medicus accesserit, qui de dolore effatu non digno non conqueritur, qui cum pulsu valido, forti, aequali, cum facie tantum non naturali liberè respiraverit, qui urinam minxerit benè coloratam & pro indole & tempore Febris probè coctam; caveat sibi ne hujusmodi Febrem perversâ medelâ perturbet: in tali casu optima medicina est medicinam non facere: remedia refrigerantia, Venae sectio, anodina, diacodiata infirmandis viribus & extinguendae flammae vitali aptissima maximè nocent; sed etiamnum magis obsunt calida bezoardica, acriora purgantia, insigni acredine infensa. Sufficit si Medicus aegro congruam dietam praescripserit, ne natura de aegri salute semper sollicita cibo gravetur: cibi facilis digestionis saepiùs, & acerbationis spatio oblati, potiones aperitivae, temperantes, acidulae,

quales inſtinctu naturali aeger appetit, pulcherrimè proſunt. Juvat etiam collatoria patula eſſe; hinc quò tranſpiratio vigeat, in loco moderatè calido aeger ſeſe contineat. De caetero totam curam Medicus naturae relinquens, cuncta pro votis ſuccedere laetus videbit.

IX.

JANI PLANCI

ARIMINENSIS

DE

URINA CUM SEDIMENTO CAERULEO,

AD AMICUM

BONONIENSEM

EPISTOLA.

Arimini, 1756.

PROMISERAM jampridem me ad Te, Amicorum Optime, historiam quamdam scripturum de Viro, qui per octo vel decem ante obitum dies Urinam reddiderat cum sedimento pulchre caeruleo, quod Cyaneum illum Veterum colorem, seu Berolinense Recentiorum referebat; quod & Tibi, & aliis singulare admodum, & plane inauditum visum fuerat: nunc fidem datam libero, & in primis morbi historiam praemitto. Vir iste sexagenarius erat, & boni temperamenti Dominicus Paulluccius vocabatur, qui Thermopolii Tabernae erat praefectus. Is a duobus annis dysuria laborare coeperat, ut calculum in Vesica gestare mentiretur. Diluentibus potionibus, & demulcentibus ex seminibus Melonum, & ex Arabico Gummi curabam, ut urinae acrimonia, & stillicidium minueretur, ut reipsa imminuta sunt haec omnia. Verum elapso vere, quum gravibus animi perturbationibus conflictaretur incidit in morbum ex animi moerore, cum febri, quae ex pulsu & calore magna non apparebat; at insignis erat in aegro linguae & faucium ariditas, fortasse quia aeger, licet a me invitatus, parce admodum bibebat. Inappetentia in eo erat summa, & ad somnum erat pronus. Post tertiam a decubitu diem reddere coepit cum urinis sedimentum pulchri coloris caerulei, veluti Cyanei illius Veterum, quod Ultramarinum vocant, seu veluti Caerulei Berolinensis, ut dixi, quod ego mane per tres dies collegi in chartulis, & ad solem exsiccavi, deinde per alios tres dies urina universa, quam noctu reddebat, in qua potissimum sedimentum hoc caeruleum cernebatur, curavi ut ad me deferretur, quae subviridis apparebat cum insigni Spiritus Salis ammoniaci graveolentia. Per chartam bibulam urinam hanc trajiciebam, & in charta sedimentum remanebat, quod exsiccatum pulvisculum referebat aerugin

gin

gini Maſſilienſi per quam ſimilem. Ultimis tribus diebus ante mortem aegri urina colligi amplius nequibat, quia aeger viribus pene deſtitutus eam guttatim in lectulo reddebat; ſed urina tunc inſigni colore caeruleo lintea inficiebat: tandem aeger inedia, ſeu voluntaria abſtinentia cibi, potus & medicamentorum omnium a. d. xi. Kal. Iunias obiit. Sequenti die ejus cadaver a nobis diſſectum fuit, cujus dorſum extrinſecus valde lividum apparuit, & in facie ejus puſtulae erant variae, ut in gutta roſacea, quae aliquot diebus ante mortem apparere coeperunt. Veſica erat valde craſſa cum plicis variis, ut ſunt in ventriculo, & cum variis illis herniis a celebri Morgagno deſcriptis. Veſicae Sphincter valde anguſtus apparuit, uretheres tamen valde dilatati cernebantur, ut inteſtina Agni referrent, & inflati, atque exſiccati una cum portione Veſicae, in primo eorum in Veſica ingreſſu, valvulam ſemilunarem, ſeu conniventem oſtendebant, ut ſunt valvulae hujus generis in Inteſtino Colo, & in Canali veſicae felleae. Poſt hanc valvulam canaliculus intra tunicas Veſicae progrediebatur. Quaeſivi proximis diebus in alio Cadavere Uretheres ejus inflando cum portione Veſicae, exſiccandoque, at valvulam hanc adeſſe non inveni; quare inconſtans res haec valvula ad initium Veſicae dicenda, & pro luſu naturae potius eſt habenda. Intra Veſicam erat portio urinae, ſed aquea & ſine ſedimento illo caeruleo: Renes erant flaccidi, ſed ſani, nullumque veſtigium in iis ſedimenti illius caerulei apparebat, neque arenulae cujuſcumque coloris, uti neque in Veſica. Inteſtina, Ventriculus, Pulmo ſubnigra omnia apparuerunt, gangraena enim erant infecta. In Larynge ventriculi illi Galeni, & Morgagni parvi, & anguſti cernebantur, non enim voce magna, ſed exili gaudebat Vir iſte. Cetera viſcera in naturali ſtatu erant.

Igitur quod rarum in hac Hiſtoria videtur, eſt mictus ille caeruleus, ſeu, ut melius dicam, eſt ſedimentum illud caeruleum in Urinis per octo, vel decem ante mortem dies, & praeſertim in ultimis diebus, quod lintea omnia colore iſto inficiebat. Quum caſuſiſte de Urina iſta caerulea per urbem noſtram vulgaretur, retulit mihi mulier ſexagenaria, ſe viginti abhinc annis, quae tunc famulatum nobili Matronae hujus urbis praebebat, & ornatrix ejus erat, quum ruri una cum Domina verno tempore eſſet, & quibusdam affectionibus hyſtericis ibi laboraret ex menſium paucitate, & juſcula alterata ex herbis ſumeret, & quum alvum haberet adſtrictam, ſuaſu famuli cujusdam contubernalis ſui Pilulam Novellariae ſumſit, quam Loyolitae diſpenſare ſolent, quae Ciceris erat magnitudine; ex hac Pilula facta eſt mulieri purgatio multa, ſeu hypercatharſis, ut Medici loquuntur, & deinde ſequentibus diebus reddere coepit in Urinis ſedimentum caeruleum, quod matulas omnes in fundo, & ad latera ita inficiebat, ut detergi nulla vi poſſent. Hoc per tres, vel quatuor dies accidit, deinde effectus iſte ceſſavit. At Urinae numquam caeruleae apparuerunt, uti non apparebant tales in aegro noſtro, ſed caeruleus color tantum erat in fundo vaſis, ſeu in ſedimento Urinarum.

Cauſſam Urinae hujus cum ſedimento iſto caeruleo exquirere, non ita facile eſt. Praeter enim caſum Viri hujus noſtri, & praeter illum mulieris itidem noſtrae, rem ſimilem, neque videre, neque legere umquam mihi contigit. Actuarius ultimus inter Graecos Medicos eruditos, qui Tractatus varios, & peculiares, ſatis diligentes quidem, ut tempora ejus ferebant, de Urinis, earumque ſignis, cauſſis, & differentiis ſcripſit, variis in locis Urinam venetam memo-

memorat, & venetum in Urinis colorem, & inter ſigna lethalia plerumque ponit; peſſimum enim eſt apud ipſum niger in Urinis color, quippe qui a Melancholia, ſive ab atra bile fuſa, ut ait, originem ducat, & colori atro proximus eſt venetus iſte, ſeu caeruleus color. Ait tamen Urinam venetam malam non eſſe, ſi a pharmaco quodam aſſumto procedat, & non a vi morbi, narratque caſum Servi ſui, qui potionem quamdam ex Trochiſco quodam amaro cum aqua fervida ex Oxymelle ſumſerat loco aegri cujusdam moroſi, qui eam ſumere noluit; deinde Puer ille Actuarii pedibus triginta ſtadia confecit, & poſtea Urinam mingere primo nigram, deinde caeruleam, ſummo cum timore Pueri illius, & magna eum Heri admiratione, qui tamen memor potionis illius, juſſit eum bono animo eſſe, ut revera nil mali accidit Puero illi, nam paullopoſt omni morbo, & timore liber evaſit. At Actuarius nullam aliam Hiſtoriam de Urina veneta, ſeu caerulea, refert. Quare credibile eſt praeter illam Pueri ſui nullam aliam vidiſſe, & doctrinam illam de malignitate, & de innocentia Urinae venetae a ſcientia tunc pervulgata Galenicorum de quatuor humoribus ſumſiſſe, & non a ſolida ratione, & ab experimentis. Praeterea non dicit ex quibus potiſſimum rebus conflatus eſſet Paſtillus ille amarus, quem admixtum cum aqua fervida, & Oxymellite propinandum exhibuerat. Aegro cuidam moroſo, & delicato, qui, quum ſumere noluiſſet, ejus loco ſumſit Puer ſuus, qui deinde peragratis triginta ſtadiis, Urinam prius nigram, deinde venetam mingere coepit. Si enim narraſſet ex quibus rebus compoſitus fuiſſet Paſtillus ille, fortaſſe modo noſceremus, quomodo ex aſſumtione alicujus rei Urina interdum fiat veneta, ſeu caerulea. Multa ſunt quidem, quae naturalem Urinae colorem, &

odorem depravant. Videmus enim aſſumto Rhabarbaro colore flavo tingi Urinam, & aſſumta Caſſia, tingi vineo. & Opuntiae fructus comeſi ſanguineum colorem Urinae conciliant. Sic Terebinthina, Veneta, &, Cypria. & generatim Reſinoſa omnia, ſi Balſamum de Copaibe excipias, ut & mala Medica comeſa gratum Violarum odorem Urinis conciliant; at Aſparagi ingratiſſimum. Fortaſſe in Trochiſco illo amaro Actuarii baſis erat Colocynthis, ſeu erat Trochiscus ille vulgaris de Colocynthide, qui Arabico nomine de Alhandal vocatur. Colocynthis enim amariſſima res eſt, & valde purgans. Fortaſſe & Pilularum de Novellaria baſis eſt ipſa Colocynthis; ſunt enim amarae & ipſae, & inſigniter purgantes. Ex analyſi enim earum inventum eſt Bdellium in iis adeſſe, & Crocum, & neſcio quid amarum, quod Aloen, ſeu melius, quod Colocynthida referat. Trochiſci quidem de Alhandal, ſeu de Colocynthide a Meſue cum Arabico Gummi, cum Tragacantha, & cum Bdellio parantur. Ex amarore igitur Colocynthidos, & ex ſalibus ſuis vellicantibus, pungentibusque prodiiſſe Urinam illam venetam in Actuarii Puero, & in Muliere noſtra credendum. At quomodo prodierit item in aegro noſtro, qui mortem obiit, ignoramus. Fortaſſe ſuaſu alicujus Amici antequam lectum peteret, ſumſerat & ipſe Pilulas illas Novellariae, ut liberaretur ex anxietate, quam ex animi moerore in ſe experiebatur, ut ſolent Viri hypochondriacis morbis tentati, qui purgari frequenter amant. Fortaſſe & ex hypercatharſi orta eſt in Viro noſtro magna illa linguae, & faucium ariditas, & deinde ſubſequutus eſt mictus ille caeruleus, ut contigit mulieri alteri noſtrae adhuc viventi, & quum clam ſumſiſſet pharmacum illud, noluit fortaſſe id aſſidentibus, & Medico revelare, at majori deinde

animi

animi angore correptus, inedia perire maluit. Verum quicquid hoc ſit, ſemper res admodum rara eſt mictus iſte caeruleus, quum tres caſus tantum in Hiſtoriis Medicorum narrentur, Actuarii nempe illius, & duo noſtri. Quare remanet ſemper adhuc diligenter inquirendum, quomodo Urina, vel natura, vel medicamentorum vi caerulea fiat, quod fortaſſe novis Obſervationibus, & experimentis palam fiet. Haec habui, Amicorum Optime, quae, ut receperam, ad te ſcriberem de Urina iſta veneta, ſeu caerulea, vel ut melius dicam, de Urina cum ſedimento pulchre caeruleo, quae tu communicare poteris cum Amicis noſtris, & ſententiam illorum exquirere, quam poſtea ad me ſcribas velim. Vale. Datis Arimino a. d. VIII. Kal. Martias. Anno cIↃIↃCCLVIa Chriſti Nativitate.

INDEX

INDEX.

Si-

Fu-

Ex

Voluminis primi finis.

Errata.

Pag. 541. L. 8. Batavii, l. Patavii.